adoptiui liberi ſint. Et condemnatus, aut morte, aut maiore aliquo, vel non multo minore ſupplicio puniatur: nec de genere ſuo quiſquam, etiam ſi ætatem à lege præſcriptam impleuerit, iudicet. Sin verò ſeruus liberum ita concitus vulnerauit, à domino tradatur vulnerato, vt arbitratu ſuo iniuriam vlciſcatur, niſi velit damnum ipſe recuperare. Quòd ſi ſerui vulneratiq; malitia per compoſitionem factum fuiſſe quis ambigat, ad iudices deferat: quod ſi non conuicerit ita eſſe, triplum damni reſtituat: ſin vero cõuicerit, ſeruitutis reum habeat eum qui doloſè cum ſeruo egit. Qui verò non ſpontè aliquem vulnerauit, ſimpliciter damnum perſoluat. Nullus quippe legumlator imperare fortunæ poteſt. Iudices autem ſint, qui & natis nepotibúſq; ad parentes, à quibus quantum damnum fuerit declaretur. Violentæ quidem paſſiones ſunt omnes quas diximus. Violentum quoque omne verberandi genus. Oportet igitur omnes homines, mulieres ſimul ac viros, adoleſcentes ac ſenes, ita de his ſemper exiſtimare. Seniorem non paruo interuallo iunioribus præponendum eſſe, & apud deos, & apud homines qui feliciter victuri ſunt. Cædi ergo ſenem à iuniore, & turpe eſt, & odio à diis habetur. Decet autem iuuenem verberatũ à ſeniore id ob ſenectutis reuerentiam patienter ferre. Sic itaq; ſanciamus. Quilibet ſeniorem & re, & verbo colat. Ac ſi viginti annis maior eſt, quaſi patrem ſi vir fuerit, aut matrem ſi mulier, reuereatur. Atq; adeò omnibus ſemper abſtineat, qui in ea ætate ſint qua procreare pareréq; ipſum potuerint, natales deos veritus. Abſtineat auté ſimiliter à peregrino, ſiue ille iampridem in ciuitate habitet, ſiue nuper eò cõmigrauerit. Etenim neq; laceſſens, neq; propugnans omnino audeat plagas ei infligere. Peregrinum verò audétem ciuem cædere, ſi qui cæditur, puniendum cenſet, ad præfectos vrbi perducat, nec ipſe verberet, vt eò magis à cædendis ciuibus ſuis abſtineat, quando etiam à peregrinis ſe cõtinet. Hic verò magiſtratus hoſpitalem deũ veritus rem diligenter inquirat, & ſi peregrinus iniuria ciuẽ percuſſerit, verbera totidẽ ei publico flagello reddantur, ne quid tale amplius impudenter audeat. Sin verò innocens peregrinus videbitur, nimis eo caſtigato qui perduxit, ambos dimittat. Æqualis auté ſi æqualẽ vel paulò maiorẽ, nondum tamẽ patrem, aut ſenex ſenem, ſiue iuuenis iuuenẽ verberibus cædant, ſecundum naturam nudis manibus ac ſine telo ſe defendãt. Si quis vltra quadraginta natus annos, ſiue dum aliũ inuadit, ſiue dũ ſe defendit, cædere quenquã audeat, ſeruilis ruſticúſq; habitus, hoc opprobrio ſatis punitus videbitur. Quicunq; his monitis obtemperabit, modeſtus & manſuetus habebitur. Qui verò proœmia hæc ſpernet, hac lege coerceatur. Qui aliquem viginti annis vel pluribus natu maiorem pulſauit, primum quidẽ qui fortè interfuerit, ſi nec iunior nec æqualis ſit, prohibeat, & ſi non prohibuerit, ſecundum leges improbus habeatur. Sin autem verberato æqualis aut iunior ſit, quaſi fratrem aut patrem aut quaſi ſuperiorem defendat, ac præterea iudicio ſubiectus ſit, qui ſeniorem, vt diximus, verberauit, & ſi damnabitur, non minore quàm annuo tempore vinciatur. Imò etiã maiore, ſi modò iudicibus id videbitur. Si peregrinus vel incola viginti annis vel pluribus ſeniorem pulſet, præſentes ea lege qua diximus opitulentur, & qui condemnatus fuerit, ſi peregrinus quidem eſt; ſed non incola vrbis, biennium vinciatur: ſin autem incola, vrbiſq; habitator legibus non obtemperat, triennium, niſi iudices decreuerint diutius retinendum. Qui verò præſens fuerit, nec opitulatus ſecũdum legem ſit, ſi de primo maximóque ſit cenſu, mina damnetur. Secundi verò cenſus ſi fuerit, drachmis quinquaginta. Tertij, triginta. Quarti, viginti. Horum iudices ſint ductores exercitus, præfecti ordinum, tribuni, equitúmq; magiſtri. Legum verò, vt videtur, aliæ ad bonorum hominum doctrinam ponuntur, vt per eas intelligant, quo pacto inter ſe amicè verſentur. Aliæ ad compeſcendam illorum pertinaciam, qui indomiti natura ſunt, ſpretáq; omni diſciplina, nulla ratione mouentur, qui ad omnem ruant improbitatem. Hi ſequentium verborum cauſa ſunt: his legiſlator neceſſitatate coactus leges imponit. Ipſe nanq; nullum vellet vſum neceſſitatémque legum vnquã fore. Quicũque igitur parẽtibus aut auis inferre manus auſus fuerit, nec ſuperorum indignationẽ deorum, nec inferorum ſupplicia veritus: ſed quaſi ſciat quæ neſcit, dicta à priſcis omnibus deſpiciens, iniuſtè agit, his vltimo vt auertatur expietúrq; remedio indiget. Mors autem vltimum non eſt, ſed extrema magis ſunt inferorum ſuplicia, quæ licet veriſſimè narrentur, aduertere tamen huiuſmodi animos nequeunt. Quoniam ſi aduerterent, nulli qui parentes ſceleratè pulſarent, vnquam reperirẽtur. Quare oportet horum flagitiorum ſupplicia in hac vita non inferiora illis quæ apud inferos ſunt, ſed æqualia pro viribus ponere. Ita igitur ſanciamus. Siquis non furioſus patrem aut matrem, eorúmue ſuperiores pulſare audebit, primùm vt in ſuperioribus, opem præſens ferant. Et incola quidem vel peregrinus, ſi opitulabitur, in publicis certaminibus tanquam præſes præponamur: ſin minus, à regione vniuerſa perpetuò exterminetur. Sin autem incola non ſit, auxiliatus quidem laudem: non auxiliatus, vituperium conſequatur. Seruus opitulatus liberetur: nõ opitulatus, centies publico cædatur flagello. Et ſi in foro id contigerit, ibidem à venalium rerum curatoribus puniatur. In aliis partibus vrbis, ſimiliter ab ædilibus qui præſentes fuerint. Eodẽ modo extra vrbẽ in agro ab his qui curandis agris tunc præſident. Quod ſi ciuium aliquis parentibus à filio verberatis, præſens fuerit, ſiue vir, ſeu mulier, ſiue adoleſcens, ſeu ſenior, defendat protinus, ſcelus cõclamans. Qui auxiliari noluerit, Iouis patrij ad gentis cognationíſque illorum ſeruatoris imprecatione per legẽ prematur. Demum quicũque pulſaſſe parẽtes condãnabitur, primum perpetuò exulet: deinde & à ſacris omnibus arceatur, quibus ſi minus abſtineat, à principibus agri verberibus & omnino vtcunque voluerit plectatur, & ſi ab exilio reuertatur, morte peccata luat. Quiſquis verò libet, cum huiuſmodi homine comedet aut bibet, vel aliquo pacto vnà quicquã geret, aut tanget, aut ſponte loquetur, is nec in templum ingrediatur, nec in forũ, nec omnino in ciuitatem proficiſcatur, antequàm mũdetur, putare nanq; debet ſcelerato ſe cõmercio cõtaminatum. Quod ſi nõ obtẽperauit, ſed ciuitatem & templa iniquè coinquinet, quicũque magiſtratus fieri hoc ſenſerit. niſi cõfeſtim punierit, maximarũ iniuriarum reus eſt habẽdus. Si ſeruus liberũ hominem, ſeu ciuẽ, ſiue peregrinum pulſet, præſens quilibet auxilium afferat. Sin minus, prædicta ſecundũ cẽſum mulcta puniatur. Qui ergo præſentes erunt, pulſato ſuccurrãt, vinciántque pulſantẽ, & ei vinctũ tradant

Senũ veneratio.

Legum ferendarum cauſa.

tradant, cui fecit iniuriam. Qui in compedibus teneat, verberibúſq; vt velit ita pulſet, vt nullum domino inferat damnum, deinde ipſum domino habendum reddat ſecundum legem, quæ iſta ſit, Si ſeruus liberum hominem non imperantibus magiſtratibus verberauerit, dominus à pulſato vinctum ea conditione accipiat, vt non anteà ſoluat, quàm pulſato ſeruus ipſe ſolutione ſe dignum eſſe iam perſuaſerit. Hæ verò eædem leges ad hæc omnia mulieribus inuicem, & ad viros viriſq; ad mulieres communes eſſe debent.

DIALOGVS DECIMVS DE LEGIBVS, VEL DE LEGVMLATIONE.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

EXordium decimi epilogum ſupplet noni, admonens tractanda eſſe iudicia de vi in rem ipſam illata poſt iudicia de vi in perſonã in nono diſpoſita. Quoniam verò nulla vis durior & intolerabilior eſt, quàm quæ contemptu quodam infertur: nimirũ contumelias & iniurias vel in perſonam, vel in rem ex contẽptu propriè natas in propria capita ſeligendas eſſe decernit: & has quidẽ ſub quinq; capitulis. Aut enim in ſacra publica, aut priuata ſacra, aut contra parentum reuerentiã: vel contra præſtantiam magiſtratus, vel cõtra ciuilẽ gentilẽmq; alicuius ciuis dignitatẽ committũtur. Hæc ergo exactiſſimè iudicanda cæteris tam autoribus legum quàm magiſtratibus iudicibuſq; committit. Diſtinguit poſt hæc à cęteris ea quæ in deorũ cõtemptũ fiũt, quaſi omnium vltrà quàm dici poſſit grauiſſima: in quibus decimi huius omnis verſatur intentio. Sed primò quidẽ quid interſit ſacrilegium inter atque impietatem, innuit. Sacrilegium ſanè rapinã nominat, ſiue res ſeu perſona conſecrata ſuperis rapiatur. Atq; id quidem velut ſpecies quædam ſub ipſo impietatis genere cõtinetur. Nam vltra ſacrilegium ſub impietate cõprehendũtur, & cætera multa in deorum contemptum ſiue cogitata ſiue dicta ſeu facta, & cõmiſſa pariter & permiſſa atq; etiam prætermiſſa. Ac ne quid nos lateat, ad impietatẽ etiam pertinet familiaritas & comunio omnis ſeu in cibis ſeu verbis cum iis inita, qui ob nefaria ſcelera arcentur à ſacris, qui & contaminati cæteros quoque vel ipſa propinquitate contaminant. Qua quidem de re in calce noni ita pertractat, vt vaticinari viſus ſit execrationes quotidie factas à noſtris prophanos à communione eccleſiæ propellãtibus. Proinde medicus noſter animos impietatis morbo languentes diligentiſſimè purgaturus in primis cauſas huius morbi perquirit. Ac dum inquirit, Euangelicam tradit ſentẽtiã. Quicunq; enim, inquit, de deo crediderit ſecũdum leges, religioſus erit, neque prophanũ quicquam vel aget aliquando, vel loquetur. Quàm rectè à fide hic dedit exordium? & à fide legibus adhibendæ? Sed ne turbet quæſo deorũ numerus, quẽ non turbat numerus angelorum. Nihil plus apud Platonẽ tot poſſunt dij, quàm apud nos tot angeli, tótq; beati. Cæterùm quidnam leges ſcilicet ſacræ, & omniũ antiquiſſimæ de diis, id eſt, de deo angeliſq; deo ſeruientibus aiunt? Profectò tria. Primùm quidẽ, hos deos eſſe. Secundum, omnibus prouidere. Tertium, iuſtè pro meritis merita ſuppliciáque rependere. In ipſa huius ſententiæ fide obſeruãtiáque pietas tota conſiſtit. Quis igitur impius? Qui videlicet vel negabit eiuſmodi deos eſſe, vel & ſi ſunt, prouidere: vel & ſi prouidẽt, iuſtè rependere: id autẽ eſt putare ſuperos iudicũ humanorũ more ſolis muneribus vel ab iniuſto collatis facilè poſſe placari. Plato igitur tres impij morbi cauſas expulſurus probabit eſſe deos & qui in mundo ſint ſphærarũ mundi rectores, & qui ſuper mundum dei ſummi contemplatores. Probabit deos omnibus vel minimis prouidere. Probabit conſtanti iuſtitiæ rectæ bilance libráque non extrinſeca munera manuum, ſed intima animorũ merita pẽſitare. Deniq; hac doctrina veluti quodam legis exordio ab omni diuinorũ contẽptu dehortabitur omnes, & cohortabitur ad pietatẽ. Præterea legum minis flagelliſq; pterrebit impios, atq; torquebit. Principio deos eſſe duobus comunibus indicat argumẽtis. Primũ quidẽ ab vniuerſo rerũ genere, ſecũdum verò à ſpecie humana deducitur. Primũ igitur eſt eiuſmodi. Compertũ habemus ordinẽ vbiq; à ratione procedere, & ordinẽ quidẽ nuſquam & nunquam interruptũ à ratione potẽti: ordinem quoq; commodiſſimum ab optima ratione. Cùm igitur vniuerſi tum diſpoſitio, tũ progreſſio ordinatiſſima ſit, ac ſemper & vbique talis, neque id quidem abſq; mirifica quadam cõmoditate, neceſſe eſt mundũ ab optima potẽtiſſimaq; ratione diſponi, atque moueri. Et cum vnũ ſit vniuerſum, vnũ verò ex diuerſis non fiat niſi ab vno, conſequẽs eſt vnam eſſe ſummã eiuſmodi rationẽ. Eſſe præterea rationes plures diuinas ſub ſũma ratione diuina, quẽadmodũ in vno mũdano opere rationabiliter ordinato, multi ſũt globi inter ſe ſpeciẽ & virtute diſtincti, atq; omnes rationabiliter ordinati: adeò vt mundi quodãmodo multi in ampliſſima videantur mundi vnius circunferentia contineri. Itaq; ſimiliter multi mundorum quaſi anguſtiorum rectores deinceps diſpoſiti, ſub vno ampliſſimi mũdi rectore cõprehendũtur. Qui ſanè cũ non ſolũ ordinator ſit: ſed ipſe, vt ita dixerim, immenſus ordo: multò magis ordinare gaudet: quàm ordinato. Quocirca ſi multis in vniuerſo ordinatis procuIdubio delectatur, multis quoq; oblectatur ordinatoribus. Quippe cũ ampliſſimi regis excellentiſſima in hoc amplitudo cõſiſtat, vt nõ anguſtos tantũ ſeruos, ſed amplos quoq; & multos habeat infra ſe reges. Secũdum verò ad idem argumentũ à ſpecie humana deductũ eſt eiuſmodi. Naturalis ſpeciei cuiuſq; inſtinctus inanis eſſe non poteſt. Naturale quoq; ſpeciei animaliũ perfectiſſimæ iudiciũ omnino falſũ eſſe nõ debet. Cùm verò humana ſpecies animaliũ perfectiſſimæ in omnib. vbiq; ſẽper naturali inſtinctu immutabiliq; iudicio ad religionẽ feratur, neceſſe eſt eſſe ſuperos qui religione colantur ſupereſſe quoq; corporibus animas, quod quidem religionis eſt potiſſimũ fundamentũ. Attende Platonis dictũ, rationes de diuinis, etſi interdum nõ nimis argutas, eſſe tamen veras. Item occaſiones duas ad impietatem. Intemperãtiam ſcilicet corporearũ voluptatũ cõcupiſcentiã: rurſuſq; ignorantiam ex abſurdis poetarum phyſicorumq; quorundã opinionibus ortã. Poetas in tribus circa deos erraſſe. Primò quòd ex confuſione quam chaos nominant, erupiſſe deos cecinerint. Secundò quòd alios ex aliis abſq; recta ratione, & quaſi per humanum concubitum progenitos aſſeruerint. Tertiò quod omnes hominum perturbationes, errata, flagitia in deos nefaria impietate tranſtulerint. Phyſicos quoq; illos in religione peccaſſe, qui vel cum Democrito caſu quodã temerario potius quàm ratione diuina cõponi ſomniant vniuerſũ, mirabili ratione digeſtũ: vel cum Anaxagora & Archelao cœleſtia nihil habere in ſe diuinius opinãtur quàm elemẽta. Pręterea formas eorum quę gignũtur, manifeſtè ad finẽ vbiq; directas, aiunt ex elementali potius impetu prouenire, quàm ab arte mentis ad certũ finẽ ſingula dirigentis. Quoniam verò in his confutãdis, atq; inſuper in confirmandis quæ & modò probauimus, & deinceps ex mente Platonis in hoc compendio aſſeremus: in theologiæ noſtræ libris fuimus longiores, idcirco in præſentia breuiter percurremus. Cõſidera quãta ſit Platonis noſtri religio, & quàm exploratum habeat deũ eſſe, qui cõtra negantes deũ diſputãs, vix ab ira continere ſe poteſt: vir alioquin ſupra modũ omnium & in vita & diſputatione mitiſſimus. In his certè admonet, non eſſe eos qui deũ negauerint, tolerandos. Nota Platonem probare illos, qui in ortu & occaſu ſolis ac lunæ adorãt nõ ſolem propriè atq; lunam, ſed diuinã potius beneficentiã: cui quotidie gratias pro tanto luminum dono iubet agi. Iudicat illũ inter homines eſſe quaſi monſtrũ, qui contra tũ naturalẽ inſtinctũ, tũ educationẽ, tũ communẽ cõſuetudinẽ ſuperos eſſe negat. Mox verò admonet iuuenes, quos fortè abſurdæ quædã ex auditu cõtra deũ opiniones inuaſerint: vt quandiu iuuenes ſunt, iudicio de rebus diuinis abſtineãt, ſenioribus cedant & legibus, donec ætas, experientia, ratio doceat. Affert prętereà in mediũ opiniones quorũdam qui ſapientes habiti ſunt: per quas homines facilè ad impietatẽ iniuſtitiamq; declinant. Opiniones inquã aſſerentes quatuor elemẽtorũ naturas fortuito quodam motu inuicẽ cõfluẽtes cũcta coaceruaſſe. Præterea religionẽ iuſtitiamq; nulla veritate, ſed hominũ opinione diſtare. Quaobrẽ cõcludit hęc tanquam & priuatim & publicè omniũ perniciosiſſima, eſſe rationibus cõfutãda: neq; cogendos homines ad legũ obediẽtiã & obſeruationem minis dũtaxat atq. tormentis: ſed perſuaſionibus inſuper atque rationibus. Alioqui hominẽ rationale animal, ideóq. liberũ, niſi rationis vinculo cõprehẽderis, neq. debere aliter, nec poſſe ligari. Excitandam igitur legibus rationem: cuius tanta vis eſt ad inueniendum deum: vt poſt rationalem inueſtigationẽ certior ſit rationẽ in natura eſſe quàm in ſeipſa, & tantò certior, quantò naturales affectus ordinatiores conſpicit quàm humanos. Vnde etiam tãtò perfectiorem eſſe in natura artem quàm in homine animaduertit. Hinc rurſus animaduerterit artẽ operibus naturalibus præſidentẽ, cùm perfectior ſit humana: & humana nõ ſolùm ſit, ſed etiam vitæ atque intelligentiæ particeps: nimirum viuã & intelligentẽ eſſe: imo verò vitam & intellectum: adde &

de & voluntatem. Cùm enim ſingula manifeſtè ad proprios dirigat fines, certũ eſt prævidiſſe finem atque voluiſſe: imo verò prævidere ſemper & velle: quemadmodũ ordo in ſingulis ſemper cõſervatur integer: vel vbi interrumpi videtur, citius q̃ dici poſſit inſtauratur. Hãc verò eſſe diuinã prouidentiam, minimè dubitamus. Prouidentiam inquam, neque minima negligentē: non enim hæc minus ſunt ordinata q̃ maxima: neq; in maximis laborantē. Non enim ordinationi reſiſtũt ordinatori q̃ proxima: quę eodem nutu voluntatis aſſiduè ordinãtur, quo & fiũt, & pcul ab omni præuaricatione ſeruãtur. Hinc illud: In altis habitat: & humilia reſpicit in cælo & in terra, ſicut & cœlũ ipſum dũ ſuũ in ſe abſque labore peragit curſum, interim abſq; negligẽtia terrã vberrimo radiorũ ſuorum munere circunfundit. Inter hæc verò quod ait legem & artē natura vel non minus q̃ natura conſtare: quia proles ſint mentis intellige non minus veras q̃ naturæ formas exiſtere, gignique ab intellectu diuino tanquã patre, & à mente humana velut matre. Et aduerte ſolitam Platonis noſtri pietatē inuocantis deum ad confirmandos deos. Deum inquam vnũ: vt doceat deos omnes referendos ad vnum. Dicit autē ſe dei ſummi auxilio fretum tutiſſimè de diuinis diſputaturum. Principio quidē eos phyſicos improbat, qui ſumma rerum principia corporea poſuerunt, ex quibus deinde vita intelligentiaq; procederēt: cũ dicere potius debuiſſent, corporea à vita intellectuali pēdere. Id autem ita eſſe, profitetur noua nõ dico ſentẽtia, ſed ratione ſe pbaturum. Sententia enim huiuſmodi priſcorum eſt ante Platonē theologorum: Argumẽtatio verò qualis hic fiet à motu, Platonis eſt propria. Diſtinguit autē ipſum motionũ genus in ſpecies decē ſcilicet in Circuitum, Localē trãſitum, Condenſationē, Rarefactionē, Augmentum, Decrementum, Generationem, Corruptionem, Mutationem, ſiue alterationem in alio ab alio factam, & Mutationē ex ſe, tum in ſe, tum in alio factam. Admiratur motum orbicularē, ſiquidem in coſtat centuum indiuiſibile, mouentur reliqua. Itē in ſphęra longè profunda quã plurimi circuli deſignantur: alij deinceps aliis ampliores. Atq; id quod mirum eſt, eodem momento anguſtiſſimus circulus & ampliſſimus circuitum peragunt: adeo vt & huius tarditas in continuo corpore, & illius velocitas ſit pariter admiranda. Medij verò & ad dimenſionem & ad motum ſecũdum certas proportiones medio quoque modo ſe habent. Multa de his in expoſitionibus theologiæ tractauimus. Dicit autem & de illo: quod mutat locum, mutare centrum, id eſt centrum, loci, ad quod corporis mobilis circunferẽtia cõparatur: nonunquã verò præter id quod cẽtrũ mutat, ſeruare etiam quodammodo idē centrum: quando ſcilicet nõ fixum, ſed tranſlatũ loco per æqualē quandã circunferentiã circũ agitur. Præterea vbi de generatione loquitur, ait principiũ, id eſt naturam motricem atque ſeminariam: quãdo alteratione proficit, per tres procedere gradus, id eſt in longum, latum atque profundum: item attingere vſq; ad quãtitatem, & qualitatem, formámq; ſubſtantialem per effectus ſuos ſenſibus manifeſtam: rurſus peruenire ad eſſe formale & vitale atq; ſenſuale. Putat autem in his motibus molē quidē corporeã moueri, ſed non mouere: formas verò corporeas & mouere moles & moueri ab anima: Animámq; mouere quidem duo hæc: ſed ipſam non aliò, imò ex ſeipſa moueri: ſed ita mouere, vt vnà cũ rebus mutatis ipſa interim ſuo quodã pacto mutetur. Præſtantiores ergo animabus diuinas angelicáſque mentes exiſtimat, quæ inferiora moueant, ipſæ interim minimè permutatæ. Eminentius deniq; ipſum bonũ mentibus eſſe iudicat, omnes enim boni gratia appetunt veritatem. In his tangit multa ad naturam per ſe mobilē pertinentia, tanquam ad proprium motionis generationiſq; principiũ. In quo motio quædam formalis & generatio ſpiritualis ſuapte natura viget, motionũ generationúmq; exẽplar. Confirmat ſuper omnia quæ mouētur ab alio, eſſe naturam mobilem ex ſeipſa, videlicet ne procedatur in infinitũ. Imò verò vt quemadmodũ vltra illa quæ per aliud lucent aut calent, peruenitur ad aliquid per ſe lucidum, per ſe calidũ: ſic præter res ab alio mobiles ad rem per ſe mobilē veniatur. Quippe ſi nunc quieſcant omnia, & paulò poſt aliquod præ cæteris moueri debeat, quidnam primò mouebitur? Nõ qdē diuina ſubſtãtia prorſus immobilis. Neq. etiã corporea vlla quę motũ ab alio mutuãtur. Solũ ergo quod ex ſe mobile eſt, primo mouebitur, exercénſq; ſuũ in ſeipſo motũ traducet in alia. Id enim ita pręſtat corporibus vt moueãtur, ſicut immobile rerũ principiũ rebus præſtat vt moueãt. Animã verò eſſe naturã per ſe mobilē patet tũ intrinſecꝰ, quãdo ſuapte natura liberè ratiocinãdo diſcurrit atq; cõſultat: tũ extrinſecꝰ, quãdiu ſua præſentia pſtat corpori vt per ſe quodãmodo moueatur. Sed de iis omnib., & pterea quod ſup animas ſphærarũ rectrices oporteat eſſe angelos atq; deũ, in theologia abũdè tractauꝰ. Vbi verò Plato animam appellat motionē generationēmq;, intellige per modũ cauſæ, id eſt propriũ motionis generationiſq; principiũ. Et vbi ait à ſeipſo moueri, eſſe animæ rationē, Nota ibidē dici etiã rationem animæ eſſe quod poſſit mouere ſeipſam, ne actũ motionis intelligas eſſe animã, ſed potentiã nõ accidentalē inq̃. Nã & ſubſtãtiã ibidē vocat animã. Sic ergo definies: Anima eſt ſubſtantia ppriã habẽs potẽtiã, qua & moueatur ex ſe, & cætera moueat. Quēadmodũ verò res ex ſe mobilis rē ab alia mobilē antecedit: ſic animã dico rationalē antecedere putat totã machinã corporalem cum nullũ corpꝰ valeat ex ſeipſo moueri. Antecedere Platonici aiunt, & dignitate ſimul & tēpore. Siquis verò Platonē à Chriſtianis minus diſſentire velit, exponat animam noſtram vel momento quodam temporis, vel ſaltem dignitate creatoriſq; intētione pręcedere. Ex eo autē ꝙ animę ſubſtantia prior eſt ſubſtantia corporis, affectꝰ quoq; & motus, & dotes familiares animæ, cõcludit paſſionibꝰ corporis eſſe priores. Vbi numerat animę ppriũ, memẽto quę actionē ſignificãt, eſſe animæ noſtræ ſuperioribúſq; cõmunia. Quæ verò paſſionē, ppria noſtræ, vel cũ dæmonibꝰ infimis tãtũ cõmunia. Naturalē tamē motũ q in corpore paſſio eſt, eſſe in anima actionē. Et ꝙ in corpore eſt lõgitudo, latitudo, pfunditas, qualitas, motus, id eſſe in anima acumē, iudiciũ, memoriam habitum & affectũ. Cætera eiuſmodi habes in theologia diſtinctius. Dicit &, animam etiam eſſe malorũ cauſam, ſcilicet p accidens, & quia anima noſtra liberum habet arbitriũ. Caue vbi dicit mũdũ gubernari ab anima ſcilicet ſua, qđ addit geminã eſſe animã, vnã, qdem beneficam, alteram verò cõtrariam, ne ſubſtãtiam accipias geminã, potentiam. Siquidē in anima mundi atq; cæleſti, potentia eſt: altera quidem motrix corporum, intellectualis altera. Intellectualis certè benefica eſt, ordine cuncta diſponens, motrix verò catenus benefica, id eſt ordinatrix, quatenꝰ ſubeſt alteri. Cui quidem niſi ſubeſſet, quãtò efficatior eſt ad motum, tantò magis carens arte præcipitaret vniuerſum atq; confunderet. Animam verò cæleſtem habere mētem, probat ex ordine quem in omni motu generationéq; ſemper obſeruat. Profectò amētes videmus quatenus à mente alieni ſunt, catenus ab ordine alienos. Ordinem in præſentia dicimus mutuam inter ſe rerum actionúmq; connexionem cõgrua ſucceſſione diſpoſitã, & ad finem certum propria quadã ratione directã, atq; in cunctis quoad fieri poteſt, ſimile, æquale, idémq; ſeruantē. Eiuſmodi ordinem ad his duntaxat qui mentis cõpotes ſunt ſeruari videmꝰ, atque in ipſa vniuerſi progreſſione prorſus impleri. Impleri inq̃, tam cõmodiſſimè q̃ pulcherrimè, ex quibꝰ apparet ab anima quę mentem habeat & artificioſiſſimã & optimã gubernari. Neq; ab re circuitũ dixit proprium eſſe mentis. In circuitu enim indiuiſibile cẽtrũ manet, dũ circũferentia redit in idē, & in figura motúq; ſeruatur æqualitas. In mẽte ſimiliter: ſimplex fixúſq; ad ipſũ verũ directus manet intuitus, dũ cauſæ in effectus p media explicãtur, viciſſimq; effectus ſimiliter replicãtur in cauſas. Reditq; interim animaduerſio mentis in ſeipſam conſiderandã, & ſimili, æquali, eodem, intelligendo, volendo, agendo, intẽtione regula progreſſione procedit. Poſtquàm verò & cæleſtes ſphæras animabus, & animas mentibus optimis præditas eſſe pbauit, ſignificauitq; & vniuerſũ anima vna, & multas ſphæras multis agi, iã diſtinguit paucis modos tres, quibus animæ cæleſtibꝰ cõiungãtur: dicẽs animam vel ita globo ineſſe ſicut anima noſtra corpori, vt inde animal vnum efficiatur: vel ſic adeſſe vt nõ viuificet quidem globum, ſed moueat tantũ atq; regat, ſiue mirabili quadã ſolũ mouendi potentia, ſiue quodã inſup medio. Et ſi ex tribꝰ ppoſitis nullũ præ cæteris manifeſtè hic eligat, Platonici tamē omnes primũ abſq; controuerſia eligũt, idémq; omnino ſenſiſſe Ariſtotelem, Theophraſtúmq; exiſtimant. Putant enim Platonem idem pbabilꝰ habuiſſe. Nam argumentatio ipſa per quam hic cælum efficit animatum, animã ipſam innuit vnà cum moto cælo moueri. Quod niſi ex ea & globo vnũ fieret animal, certè non mobilis motor eſſet, ſed motor immobilis. Idē confirmat in Phædro. Idem & in Timæo, dicens, Cùm vellet mundi architectus, mundum intellectuale animal facere: neque poſſet intellectus abſque medio adeſſe corpori: coniunxiſſe intellectum quidem animæ, animam verò corpori, atque adeò vt medio infuderit mundo, & inde per cuncta diffuderit. Cæterum curnam Plato hic cæleſtes tantùm deos manifeſtè confirmat? Quoniam ſupereorum contemplatio eſt à legum materia admodum aliena, & per cæleſtes deos qui mouentur, & propriis mancipatur officiis, ſatis admonet ſuperiorem eſſe quærandum, qui & immotus ipſe moueat omnes, & communis dux, propria ſingulis aſſignet officia. Quid plura? Manifeſtè ſuper cæleſtes animas diuinam eſſe mentē mentéſque angelicas demonſtrauit, vbi ait, cæleſtem animam, vtpote quæ ſe non habeat, ſi intellectum

ctũ ſemper diuinum acceperit rectè cuncta perducere, put apud deos recta feliciáq; habentur: alioqn penitꝰ aberrare. ideo Plato vbi ab anima pcedit ad mentem, quaſi q ab oculo ad ſuperius aſcẽdat lumē, veretur admodũ ne caligare cogatur. Poſtquã verò deos eſſe moſtrauit, prouidere demoſtrat, à ſingulari quadam ſententia ſic exordiens: Natura quædam diuinitati cognata, homines nõ omnino à ſpecie humana degenerãtes ducit ad affirmãdũ eſſe deum, quamuis interdum de puidentia dei apparens proſperitas improborum, quæ falſa proſperitas eſt, quæ & ſtatuto tẽpore dabit pœnas, dubitare nos cogat. Profectò deus in intelligendo facit, conſequẽter qđ facit intelligit, ac ſi totũ facit, intelligit, quoq; totũ. Si cognoſcit totũ, cognoſcit & partes ex qbus totũ neceſſariò cõſtat: ſi partes, ergo particulas ex qbꝰ neceſſariò partes. Poteſt ergo & ſcit vniuerſum regere: qui pot & ſcit pruidere. Vult quoq; vtiliter gubernare totũ opus ſuum. Gubernari verò bene nõ gubernatis partibus, nunq̃ poteſt. Ita neq; medicꝰ, neq; architectꝰ opus totũ abſq; partibus, ad id neceſſario cõducentibus, optimè curat. Non negligit deꝰ minima gubernare, q facere minima non neglexit. Neq; difficilis eſt gubernatio deo, cui eſt pcreatio facilis. Neq; mollitie ad curãdũ tardior eſt, qui omnium eſt fortiſſimus, qui accuratius cuncta gubernat, quàm vel ars vel natura quæ ab arte naturáue ſiũt. Nã quãtò magis à deo dependent opera dei, quàm artis vel naturæ opera ab arte ſiue natura, tantò deus operibus ſuis puidet diligentꝰ. per cuiꝰ prouidentiam cætera quoq. id habent, vt ſimiliter ſuis quæque prouideãt. Quoniam verò ars quò pfectior eſt, eò facilius parua ſimul expedit atque magna, in deo autem ars eſt immẽſa, nimirum minima ſimul & maxima ſumma facilitate gubernat. In quibus vtique diſpenſandis, non totum gratia partium, ſed partes totius gratia diſponit bonúmq. cuiuſq. proprium refert, an vniuerſi bonum. Inter omnia verò ſub luna maximã habet circa humanam ſpeciem diligentiam, tum quia perfectiſſima eſt: tum quia ipſa colit deum: quaſi ipſa ſingulariter excolatur à deo. In his notabis, à deo ſummo p ſingulas rerum genera ſpeciéſq. diuinos diſtributos eſſe rectores vel minimarum actionum paſſionúmq. curatores. Qui ſicut per potentiam eius poſſunt, qcquid poſſunt, ita per prouidentiam ipſius vel minimorum procuratricem, minima quæque procurant. Notabis ſideribus eſſe ſenſus, & vt Plotinus Hermiáſq. diſputant, viſum propriè atque auditum, ſed in alio quodam genere longéque præſtãtiore quàm ſenſus animalium terrenorum. Notabis & animam humanam ſemper corpori eſſe coniunctam, aſſiduè quidem æthereo cõpori, per ſucceſſionem verò tum terreno, tum aereo corpori. Item motum animę, quia primus eſt atque ex ſe, ideóque liber poſſe in formas varias deriuari: vſque adeò, vt anima aliàs in habitum inferiorem homine, alias in ſuperiorem homine conuertatur: & illo quidē quaſi quadam grauitate ad loca inferiora deſcẽdere: hoc autē ceu leuitate ſublimia petere. Ex quo apparet cõceptos ex ppriis motibus habitꝰ cũ diuinæ voluntatis lege concurrere. Sicut enim lex illa dictat, bonis quidē animi cæleſtia, malis vero terreſtria cõuenire: ſic omnino nullo extrinſecꝰ impellẽte, & quaſi naturali quodam inſtinctu, & bonorum habitus ſpõte ſuperiora petunt, malorum verò ad inferiora labuntur. Hic profectò ſi longius commentari liceret, exponerem illud obſcuriſſimè dictũ, vbi inducit aliquem tranſmutare conantem ignem in aquã animatam, quaſi difficilima molientem. Nã cum & aqua igni contraria ſit, & anima creari non poſſit ex igni: nimirũ impoſſibilia tentat, qui ignē in aquam animatam tranſmutare molitur. Neque minus obſcurè dictum eſt, quod de reſolutione & diuiſione dialectica eſt exponendum. Nempe ſiquis diuidendo pcedat per tres gradus, ſcilicet à genere quodã generaliſſimo ad ſpecies ſubalternas, ab eiſque ad ſpecialiſſimas, denique ſpecies facilè diuidit: ſimiliter qui per eoſdem gradus reſoluit, à ſpecie ſpecialiſſima ab ſubalternũ genus, & inde ad generaliſſimũ, facilè quoq. reſoluit. At verò q per ſingula numero infinita puagari voluerit, irritum opus aggredietur. Sed de his in cõmentariis in Philebũ. Inter hæc notabis Platonis verba Dauidis prophetæ oraculo q̃ ſimilima: neque aſcenſu in cælum, neq. deſcenſu in infernũ diuinum poſſe iudicium euitari. Poſt hęc oſtendit deũ à prauis nõ poſſe muneribus iniuſtè placari. Vbi cõſiderabis deum diligẽtiorem eſſe humani generis curatorem, quàm paſtores ouiũ, gubernatores nauium, duces exercitus, agrorum ruſtici, equorum aurigæ, medici ægrotãtium. Præterea omnia ſub cælo plena malorum, perpetuúmque circa animas bellum. In quo vitia deorſum trahunt: dij vero dæmonéſq. ſurſum. Cõſiderabis viuas eſſe in deo virtutes, imò vitas: quarũ ſcintillis quibuſdam in anima inde ſuccẽſis anima ad ſublimia eleuatur. Poſt verò præmia ſeueriori cẽſura animaduertit in impios, neq. ſolùm nefarias actiones ſed impudentiam quoque verborum, imò & cogitationes ipſas contra diuinam dignitatem diligenter explorat: ac tres ſpecies impietatis in ſuperioribus poſitas, in ſex deducit: videlicet in duo quamlibet partiendo. Tres enim illæ in opinione contra deũ falſa conſiſtunt. Poteſt autem vnà cum falſa opinione iniquitas quoq; morũ concurrere: poteſt & tolerabilior æquitas. Cognoſces hic & pœnas maleficorum hæreticorum, ſuperſtitioſorum, illorum præterea qui Pſeudoprophetæ cognominantur. Rurſus quantum plebeam damnet ſuperſtitionem. Damnauit & ſuprà poeticam, à qua plebea etiam cõfirmatur. Vbique verò Plato tam poeticam quàm plebeam ſuperſtitionem improbat, & ante omnia humana officia, pietatem philoſophicam veneratur.

POST leges de cæde vulneribúſque & verberibus, communis lex illa de omni vi ſanciatur, vt nemo ferat aſportétque rem alienam, aut vicini re vlla vtatur, *De omni vi.* niſi poſſidenti antea perſuaſerit: hinc enim mala omnia quæ narrauimus, dependerunt, pendéntque iam, & in poſterum dependebunt. Reliquorum verò maximè ſunt, petulantium iuuenum contumeliæ atq; iniuriæ: & tunc in res maximas quando in ſacra cõmittuntur: præſertim cum in publica atque ſancta, vel in tribuum aliquarum cõmunionem, vel aliorũ huiuſmodi. Secũdo verò loco habenda ſunt quando in ſacra priuata atq; ſepulchra. Tertio quæ in parentes, ſeorſum ab his quæ de inferenda iniuria narrauimus. Quartum cõtumeliæ iniuriæq; genus eſt, quando quis cõtemptis magiſtratibus, rem illorum abducit, vel ea vtitur, antequam illis perſuaſerit. Quintũ cum ciuis alicuius ciuilis dignitas lęditur vel offenditur, quod genus omnino vltionem poſcit. atq; his ſingulis cõmuniter prouidere lex debet. De ſacrilegio quidē ſummatim dictũ eſt, quid fieri oporteat, ſi vi aut clàm peragatur. De his autē quæ verbo vel opere in deorũ contemptum aguntur, quomodo punienda ſunt, deinceps prooemio quodam propoſito dicendum videtur. Huiuſmodi verò prooemium ſit. Qui deos eſſe putat ſecundum *De contemptu numinis.* leges, nec facit vnquã ſponte impium quicquã, nec loquitur. Faciunt autē, aut dicunt impium aliquid in deos, vel quia deos eſſe negãt, vel quia etſi putãt eſſe deos, de rebus tamen humanis curare ipſos minimè arbitrantur: vel tertio quamuis & ſint, & de hominibus curam habeant, facilè tamē placari eos votis & ſacrificiis opinantur. CLI. Quid faciemus igitur? quid ad ipſos dicemus? ATH. Audiamus, ô bone vir, prius quid in noſtrum contemptum ioco quoddam dicturos illos coniicio. CLI. Quidnam dicent? ATHENI. Ita fermè in nos nugabuntur, O Athenienſis hoſpes, vóſq; Lacedæmonie atq; Gnoſie, verè illud dicitis, quòd noſtrũ alij nequaquã eſſe deos, alij nihil noſtra curare, alij muneribus facilè placari exiſtiment. Quod igitur vos in omnibus legibus ferendis faciendũ eſſe putauiſtis, hoc & nunc à vobis fieri volumus, vt ſcilicet ante legum minas ſufficiẽtibus ſignis deos eſſe nobis perſuadeatis, nec poſſe illos præterquã fas eſt, muneribus vllis moueri. Nunc enim hæc & ſimilia quædã audientes prædicari quotidie ab iis qui excellere putẽtur, poetis, oratoribus, vatibus, ſacerdotibus, aliíſq; permultis, ab iniuria quidē facienda nõ remouemur: ſed cùm fecerimus, placare deos conamur. A vobis autē qui atroces nullo modo, ſed mites legũlatores eſſe gloriamini, poſcimus, vt perſuaſione prius adhibita, quòd dij ſint, ita doceatis, vt etiã ſi nõ multò meliora quàm alij, veriora tamen loquamini. Fortè nanq; vobis credemus. Quare ſi æquum quid poſtulamus morem gerite. CLI. Atque, ô amice, facile eſt veritatem *De dil.*

tatem hanc oſtendere quòd dij ſint. ATH. Quo pacto? CLI. Primum quidem terra, ſol, ſidera, ipſumq; vniuerſum, temporũ quoq; ornatiſſima varietas, annis, menſibúſque diſtincta id oſtẽdunt, Græcorum præterea barbarorúmq; omnium conſenſus, deos eſſe fatentium. ATH. Timeo, ô beate vir, ſceleſtos homines: timeo inquam, non erubeſco, nec vereor, ne fortè vos contemnant. Vos enim corruptionis iſtorum cauſam ignoratis, & incontinẽtia voluptatum cupiditatúmque tãtummodo putatis ad impiã animos eorũ vitam corruere. CLI. Sed quænã præter iſta, alia iſtorum cauſa hoſpes eſt? ATH. Quod vos ipſius expertes penitus fugit. CLI. Quid hoc? ATH. Ignorantia quædam certè grauiſſima, quæ maxima videtur eſſe prudentia. CLI. Quo pacto inquis? ATH. Feruntur apud nos ſermones, partim metro, partim ſoluta oratione conſcripti, qui apud vos propter diſciplinæ ciuilis excellentiam, vt audio, nõ reperiuntur. Quorum antiquiſſimi primã cœli aliorúmque naturã deorum factam fuiſſe affirmant, nec multum progreſſi, deorum generationem cõſuetudinémque inter ſe narrant. Quæ quoniã priſca ſunt, quantum ad alia quidem ſiue rectè, ſiue non rectè ſe habeant, reprehendere non facile eſt, ad cultũ tamẽ honorémque progenitorum, nec vtilia ipſa, nec vera eſſe fatebor. Priſca igitur dimittamus, déq; illis, vt diis placet, dicamus: iuniorum verò ſapiẽtum verba ſicubi mala hominibus afferant, incuſemus. Profectò iſtorum verbis illud efficitur, vt cùm ego & tu hæc ipſa ſigna eſſe, quòd dij ſint, aſſerimus, ſolemq; ac lunam, ſidera & terram, quaſi deos & res diuinas in medium adducimus, tunc iuuenes ab iſtis ſapientibus aliter perſuaſi, terram & lapides hæc eſſe dicãt, nullámq; humanarum rerum curã habere poſſe: ſed verbis tantum ornatis veriſimiliter ſermonẽ de iſtis eſſe digeſtum. CLI. Grauem certè hoſpes, & periculoſum ſermonẽ habuiſti, etiã ſi ſolùmodo vnus fuiſſet. Nunc verò eò grauior & moleſtior eſt, quò plures ſunt. ATH. Quid ergo dicere, quidue facere nos oportet? Vtrum quaſi apud impios homines accuſati ſimus, quòd falsò deos eſſe legibus affirmauerim*, ad defenſionem accingemur? An his dimiſſis ad legũ tractationẽ iterum reuertemur, ne prooemiũ legum nobis hoc excreſcat in longũ: cùm oratio breuis futura non ſit, ſi pronis ad impietatem hominibus quæ requirunt, ſufficienter oſtendere voluerimus, atq; etiã terrore illos à ſcelere, amouere, demũ verò quemadmodum conuenit, leges ferre? CLI. Sæpenumero in hoc breui tẽpore hoſpes à nobis dictũ eſt, breuitatem non eſſe prolixitati anteponendam. Nihil enim nos, vt dicitur, vrget. Quare ridiculum ſimul & prauum eſſet, ſi breuiora melioribus præferremus. Multùm enim conferet, ſi veriſimili ratione ſermo noſter oſtenderit quòd dij ſint, & boni ſint, iuſtitiámq; multò magis quàm homines colãt, quod ferè optimũ pulcherrimúmq; legum omniũ erit exordium. Quamobrẽ abſque vlla moleſtia atq; feſtinatione, pro virib. nihil prætermittamus, quòd ad hanc rem perſuadendam pertineat. ATH. Iſte ſermo tuus adeò te paratum promptúmq; oſtendit, vt ad preces votúmq; videatur prouocare, nec moram amplius patiatur. Verùm quomodo abſq; offenſione eſſe aliquis deos diſſerat? præſertim cùm neceſſe ſit, grauiter ferre odiſſeq; eos, qui horum verborum nobis cauſam præbuerunt. Hi certè à pueritia ad deos affirmandos eò maximè iuducere animum potuerunt, quod dum lacte nutrirentur à nutricibus matribúſq;, multa de illis ioco & ſerio dicta decantatáq; in orationibus audiebant, & in ſacrificiis videbant conſentanea quæq; illis fieri, quę ſuauiſſime pueri & vident & audiũt, dum parẽtes eorum ſummo ſtudio pro ſe liberíſq; ſacrificare, oraréq; ſupplices, deos, quaſi quàm maximè dij ſint, viderẽt: necnon quotidie in ortu & occaſu ſolis ac lunę Græcos & Barbaros omnes tam in rebus aduerſis quàm ſecundis conſpicerẽt ſuppliciter adorare: atq; ex hoc non ſuſpicionem quòd dij nõ ſint, afferre, ſed teſtimoniũ quòd ſint, abſq; controuerſia perhibere. At verò qui hæc omnia, nulla ratione, vt mentis compos quilibet diceret, moti deſpiciunt, proptereáq; nos ad hæc dicenda cõpellunt, quo pacto eos nunc manſuetis verbis corrigere, & primũ quòd dij ſint docere poſſumus? Audeamus tamẽ: nec enim decet cùm illi voluptate perdantur, nos quoq; ita in eos corrũpi. Quapropter omni concitatione animi extincta prooemiũ ad eos qui ita mẽte corrupti ſunt, aggrediamur, & quaſi ad vnũ eorum ita orationem manſuetè vertamus. O fili, iuuenis adhuc es: nec dubito, quin progreſſio tẽporis faciat, vt de multis aliter quàm nunc, ſentias. Expecta igitur oro, vt tunc de rebus maximis iudices. Maximũ autẽ eſt quod tu modo nihil arbitraris, vt rectè de diis ſentientes bene viuamus. Verũ ſi hoc in his permagnũ tibi indicauero, minimè mentiar. Non tu ſolus, nec amici tui primi, hãc de diis opinionem habetis, ſed aliqui ſemper, tum plures, tũ pauciores hoc morbo laborant. Quod verò plurimis illorũ contigit, tibi narrabo. Profectò nullus eorum ab adoleſcẽtia vſq; ad ſenectam in hac opinione quòd dij non ſint, perſeuerauit. Reliqui autẽ duo morbi quamuis non multis, nõnullis tamen permanſerũt: quòd dij ſint quidem, ſed de rebus humanis nihil curent. Vel quòd curent, ſed facilè precib. ſacrificiiſq; placentur, Tu igitur, ſi mihi credes, expectabis, donec planè cõſtet tibi pro viribus quid de his iudicandum ſit. Vtq; id aſſequaris, diligenter cõſiderabis, ſiue ſic, ſiue aliter ſe res habeat: & à cęteris omnibus, & à legumlatore maximè ſciſcitaberis. Interea noli tam temerarius eſſe, vt impiè de diis ſentias. Is enim qui tibi leges ponit, nunc & poſteà, quomodo iſta ſe habeant, docere conabitur. CLI. Optimè hucuſq; hoſpes, nobis eſt dictũ. ATH. Prorſus eſt ita, ô Megille, atq; Clinia Sed in mirabilem quendam ſermonẽ neſcientes incidimus. CLI. Quémnam? ATH. Qui à multis ſapientiſſimus eſſe putatur. CLIN. Dic clarius. ATHE. Res omnes nõnulli aiunt, quæ fiunt, quæ futuræ, quæq; factæ ſunt, vel netura, vel fortuna, vel arte fieri. CLI. Et probè quidẽ. ATH. Certè nõ abſurdum eſt viros ſapientes probè dixiſſe. Quare ſequamur ipſos: inquiramuſq; quídnam intellexerunt. CLI. Omnino. ATH. Maxima dicunt atq; pulcherrima natura fortunaq; fieri: Arte verò minora: eámq; dicunt accepta à natura magnorũ primorumq; operum generatione, fingere, fabricaréque minora omnia, quæ artificioſa ab omnibus appellãtur. CLI. Quomodo id ais? ATHE. Sic planiùs dicã. Ignem, aquã, terram, aerem, omnia hæc non arte, ſed natura & fortuna eſſe dicunt. Corpora etiã quæ poſt hæc ſunt, rerum terrenarum, ſolis, lunæ, ſtellarum omnium, ex iſtis anima prorſus carẽtibus facta fuiſſe aiũt: fortunaq; quò vnumquodq; vis ſua impulit lata, ſingula ſingulis, frigida calidis, ſicca humidis, mollia duris, & omnino contraria contrariis, duce fortuna conueniſſe, ac neceſſariò contemperata fuiſſe. Hoc pacto

cœlũ totum, & quæ in eo ſunt omnia, animalia quoque, & plantas, & anni tempora fuiſſe producta: non per intellectum, neque per deũ aliquem, neque per artẽ, ſed natura vt diximus, atq; fortuna. Ex quibus artẽ poſteà mortalem à motalibus factã, poſteriores quaſdã res genuiſſe, nõ penitus veritatis participes, ſed ſimulachra quædam ſibi ipſis cognata, qualia pictura, muſica, cæteræq; artes his ſimiles generant. Si quæ verò artes ſerium aliquid faciunt, eas eſſe quæ vim ſuam cum natura cõmunicant, qualis eſt medicina, agricultura, gymnaſtica. Ciuilem præterea peritiam aiunt, parua quadam parte cum natura, magna verò cum arte cõcurrere: atq; ita vniuerſam legum poſitionem non cum natura, ſed cum arte, cuius poſitiones veræ non ſint, conuenire. CLI. Quónam pacto? ATH. Deos, ô beate vir, non natura, ſed arte & legibus quibuſdam conſtare volunt, eóſque aliis alios, prout ſinguli ſecum conſentientes lege ſanxerunt. Pulchra verò vel honeſta, alia natura, alia lege conſiſtere. Sed iuſta natura minimè eſſe: imò verò homines de his ſemper inuicẽ diſceptare, & noua quotidie conſtituere: & quæ nuper ſtatuerunt, quatenus illis ſic placet, eatenus eſſe iuſta, non natura quidem, ſed arte & legib. ſtabilita. Hæc ſunt, ô amici, quæ ſapientes viri, tum poetæ, tum ſcriptores aliis iunioribus tradiderunt, dicentes iuſtam eſſe eam poſſeſſionem, quæ vi & victoria comparatur. Vnde iunioribus impietas innaſcitur, vt credãt non eſſe deos quales credere leges iubent. Hinc etiam ſeditiones oriuntur, per quas ad eam homines vitam quaſi ſecundum naturam rectam trahuntur, qua ita viuant, vt cæteros vincant, nec ſecundum leges aliis ſeruiant. CLI. O qualem hoſpes, rem narraſti, qualémque peſtem iuuenum & publicè ciuitatibus, & priuatim domibus ſuis illatam! ATH. Vera narras, ô Clinia. Sed cùm ita res ſe habeat, quid legumlatori agendum cenſes? An ſolùm minari omnibus hominib. debet, eos omnino pœnas daturos, niſi deos eſſe credant, taléſq; opinentur, quales à legibus traduntur: déq; honeſtis & iuſtis & maximis quibúſq; rebus, ac de virtute & prauitate, ita omnino arbitrentur & agant, vt legumlator præſcripſerit. Si igitur non paruerint, alios mortis ſupplicio, alios plagis & vinculis, alios dedecore, alios exilio, egeſtatéq; puniendos. Itáne minabitur quidẽ tantum legumlator, vt autem in legumlatione perſuaſionem minis adiungat, qua mitiget, nihil curabit? CLI. Minimè hoſpes, ſed ſiqua in huiuſcemodi rebus vel modica perſuaſio inueniri poteſt, nõ debet legumlator qui modò alicuius pretij ſit, labore inde deterreri, ſed quàm maximo, vt dicitur, clamore poteſt, priſcæ legi auxilium ferre, rationibúſq; oſtendere quòd dij ſunt, & quæcunq; ipſe paulò antè dicebas: atq; ipſi legi & arti ita ſuffragari, vt vel natura, vel non minus quàm natura conſtare affirmet, cũ mentis ipſius proles ſunt, vt recta ratio monſtrat, quam tu modò dicere mihi videris, & ego credo. ATH. O promptiſſimi animi Clinia! nónne arduũ eſt, ea rationibus proſequi, quæ ita per omnes diuulgata ſunt ipſáque prolixa ſunt, nec breuitatem patiũtur? CLI. Quid hoſpes? cùm tam multa de ebrietate & muſica dicerentur, eam prolixitatem æquo animo tulimus de diis verò talibúſque rebus plura dicẽtẽ non auſcultabimus? Enimuerò legumlationi prudenter diſpoſitæ, magnũ hinc patrocinium eſt futurum, cùm legum mandata literis tradita quę toto tempore futuro redargutioni ſubiecta eſſe ſolẽt, ſic cõprobata quieſcant. Quare terreri non debemus, ſi auditu ardua principio ſunt, quæ vel tardi ingenij homines ſæpius repetẽdo animaduertere poterũt. Hæc igitur licet prolixa, ſi modo vtilia ſunt, non videntur abiicienda. Nec pium eſt hos ſermones pro viribus nõ defendere. MEG. Optimè mihi hoſpes, Clinia loqui videtur. ATHE. Et maximè quidem, ô Megille, quare faciendum eſt, vt dicit. Profectò niſi ſermones iſti inter omnes, vt ita dixerim, homines vulgati eſſent, nihil opus eſſet, deos eſſe rationibus demõſtrare. Nunc verò neceſſe eſt. Cùm igitur maximę leges ab improbis hominibus corrumpantur, cuiúſnam magis quàm legumlatoris officiũ eſt, auxilium ferre? CLI. Nullius certè. ATHE. Verùm dic mihi Clinia & tu, participẽ enim te ſermonis huius eſſe oportet. Nónne qui hæc dicit, ignem, terram, aquam, & aerem, prima omniũ putare videtur? atq; hæc eadem naturam vocare, & ex his poſteriorem animam arbitrari? Imò non videtur ſolùm, ſed, iſta nobis oratione ſua verè ſignificat. CLI. Ita prorſus. ATHE. Num igitur per Iouem, quaſi fontem quendam inuenimus ſtultæ illorum opinionis, qui nunquam quæſtiones rerum naturaliũ attigerunt? Conſidera obſecro, & rationem omnem ſcrutare. Non enim parum intereſt, ſi oſtenderimus eos qui impiis rationibus innitũtur, cæteróſq; ad impietatem trahunt, non rectè, ſed peruerſe diſſerere. Mihi igitur de his ita videtur. CLIN. Probè dicis, ſed coneris iſta oſtendere. ATH. At videbor rationibus vti nõ conſuetis. CLI. Ne verearis, hoſpes. Intelligo enim quòd putabas longè te à propoſito ferendarum legum abire, ſi diſputationẽ hanc ingrediamur. Verùm ſi non aliter conuincere poſſumus rectè ſe habere quæ de diis ſecundum legem modò dicuntur, dicendum eſt omnino. ATHE. Dicam iam nouam hanc penè inauditámq; rationẽ. Quod generationis corruptioniſq; omnium prima cauſa eſt, nõ primum, ſed poſterius factũ illi ſermones aſſirmarunt, qui animos impios effecerunt. Quod verò poſterius, id prius. Quare veram deorum ſubſtantiam ignorarunt. CLIN. Nondum intelligo. ATH. Qualis anima ſit, & quã habeat vim, omnes fermè ignoraſſe videntur, tum quò ad alia, tum quò ad eius generationẽ, quòd ante omnia corpora nata ſit, & tranſmutationis decoriſque corporum ipſa ſit maximè omnium princeps. Si hæc ita ſint, nónne quæ animę ipſius propria ſunt, neceſſariò priora his erunt, quæ ad corpus pertinẽt, cùm ipſa corpore ſit antiquior? CLI. Neceſſe eſt. ATH. Ergo opinio, cura, intellectus, & ars, & lex, duris & mollibus, grauibus atque leuibus priora ſunt. Quare ingentia & prima opera, operationéſque ipſæ artis in primis erunt, quæ verò natura ſunt, & natura ipſa, quam non rectè ſic appellant, poſterius ſunt, & artem intellectúmq; ſequuntur. CLI. Cur? ATH. Non rectè naturam generationem circa prima dicere volunt, primáque ponunt corpora. Si autem non ignis, nec aer, ſed anima primò eſſe videbitur, anima ipſa corpore antiquior rectiſſimè affirmabitur & hæc ipſa ita natura conſtare, ſi animam corporibus antiquiorem eſſe conſtiterit: aliter verò nequaquam. CLI. Vera loqueris. ATHE. Num deinceps ad hæc ita pergemus? CLI. Ita prorſus. ATHE. Rationem cauillatoriam fallacémq; fugiamus, ne ſi fortè iuuenilis ipſa nos ſenes fefellerit, ridiculos reddat, videamúrque magna aggreſſi, ne parua quidem conſecuti fuiſſe, Cõſiderate itaq;, ſi amnem profundum rapidúmq;

Reiicitur opinio dicẽtiũ omniũ principia eſſe corpora.

tres ipſi tranſire vellemus, & ego iunior vobis, fluctúſque magis expertus dicerẽ, periculũ me primũ vobis in tuto relictis facere oportere, vtrum tranſiri fluuius à vobis ſenioribus poſſit, an non, & poſteà facto periculo aut adhortari vos ad tranſitũ, aut ſi tranſiri nõ poſſit, me ſolum periculum ſubiiſſe, modeſtè loqui viderer. Non aliter modò cum ratio profundior adeũda ſit, fermé que veſtris viribus nõ acceſſibilis, ne vertiginem tenebráſque vobis faciat ad eas vos quæſtiones deducens, quibus conſueti nõ eſtis, atque hoc pacto dedecore triſtiáq; afficiat, periculũ in me primò ita faciẽdum cenſeo, vt & meipſum interrogem, mihi ipſi reſpondeam, & hoc pacto vobis in tuto audientibus, totam hanc de anima diſputationem pertranſeam, qua prior eſſe corpore oſtendatur. CLI. Optimè hoſpes loqui videris, facitóque, vt dicis ATH. Age igitur modò magis quàm vnquam deũ omni ſtudio inuocemus, cùm deos eſſe diligenter demonſtrare conemur, rationéq; ingrediamur, rudentibus tutiſſimè tenſis. In hac autem diſputatione, interrogationibus huiuſmodi ſic ſecuriſſimè reſpondere videor, ſiquis roget, O hoſpes ſtántne omnia, nihílque mouetur: an contrà, ſtat nihil, cuncta mouentur? vel aliqua mouentur, aliqua permanent? Huic vtique reſpõdebo manere alia, alia verò moueri. Nónne in aliquo loco ſtant & mouentur? Quidni? Nonnulla in vna ſede id faciunt nonnulla in pluribus. Eáne dicis quæ ſtantium in medio vires capiunt, in vno moueri: quemadmodum circuli ſtare dicuntur, licet circunferentia eorum vertatur? Ita prorſus. Intelligimus autem quod in hac circunferẽtia, cùm huiuſmodi motus maximum ſimul minimúmque circulum circũdat ſecundũ proportionẽ, ſeipſum maioribus minoribúſque diſpertit: & ipſe quoq; proportione ſeruata maior eſt & minor. Propterea cunctorũ factus eſt fons mirabiliũ. Vnà enim cum magnis paruíſque circulis velocitates tarditatéſque conueniẽtes ita tranſigit, vt incredibile quiddam peragere videatur. Vera narras. In multis verò moueri, dicere mihi videris, quęcunque ex alio in alium ſemper tranſeunt locum: & nonnunquam alicuius centri vnius obtinent baſim nonnunquam plura, eò quòd circumuoluantur: & cùm ſingula ſibi inuicem paſſim occurrant, ſi ſtantibus reſiſtentibúſque obuia fiunt, ſcinduntur: ſi verò contrà latis, vnum facta tá hæc quàm ipſorum intermedia coniunguntur atque condenſantur. Fateor vtique hæc ita ſe habere, vt tu ais. Atqui coniuncta denſatáque augentur, diſiuncta verò rarefactáque minuuntur, quando prior ſingulorũ habitus permanet: quando verò non permanet, propter vtráque corruptio ſequitur. Fit igitur omnium generatio, quando paſſio quædam fit: cùm videlicet principium capto incremento ad ſecundã perueniat tranſlationẽ, & ab hac in proximã: cúmq; ad tres vſque peruenerit, in ſentientibus ſenſum habuerit. Hac ergo tranſmutatione atq; tranſlatione quodlibet gignitur: Verè autem eſt, quando permanet. Quod ſi in alium habitũ permutatum ſit, iam penitus eſt corruptum. Species motuum omnes præter duas, ó amici, iam diximus. CLI. Quas illas? ATH. Illos, ó bone vir, motus nondum diximus, quorum penè gratia tota hæc conſideratio eſt. CLIN. Dic planius. ATHE. Animæ gratia diſputationem hanc aggreſſi ſumus. CLIN. Maximè ATHE. Sit ergo alter motus, quo quid alia ſemper mouere poteſt quidẽ, ſeipſum verò nõ poteſt. Alter, quo quid & ſeipſum ſemper & alia poteſt mouere coniungendo, diſiungendo, augendo & contrà: generando præterea & corrumpendo. Qui motus à cæteris omnibus eſt diſtinctus. CLIN. Sint vt vis. ATH. Nónne motum illum nonum ponemus: quo aliquid ab alio mouetur, & alia mouet? Decimum verò collocabimus illum quo & ſe mouet & alia: qui certè omnibus actionibus & paſſionibus ſe accommodat, rerúmque omnium quæcunque ſint, reuera motus & tranſmutatio nuncupatur? CLIN, Ita prorſus. ATHEN. Quem potiſſimum ex decem motibus cæteris omnibus tanquam robuſtiſſimum & efficaciſſimum præponemus? CLIN. Neceſſe eſt eum quo quid & ſe & alia mouere poteſt, longiſſimo interuallo præcedere, cæteros autem omnes eſſe longè poſteriores. ATHENIE. Probè dicis. Sed vnum vel duo nõ rectè locata, aliter ponenda ſunt CLIN. Quænam? ATH. Quod de motu decimo diximus, non rectè eſt dictum. CLIN. Quare? ATHEN. Quia qui decimo enumeratus eſt, tam generatione, quàm robore ſecundum rationem primus eſt. Secundus verò, quem nono abſurdè loco enumerauimus. CLINI. Quomodo hæc dicis? ATHEN. Sic. quando aliud ab alio mouetur, idque rurſus ſemper ab alio, erítne in talib. aliquid quod primò moueatur? At quomodo id cùm ab aliquo moueatur, eorũ quæ mouentur, primum erit? Certè impoſſibile id eſt. Sed quando aliquid ſeipſum mouens, aliud quoque mouebit: illúdque aliud, & ſic deinceps plurima mouebuntur: an aliud totius motus principium erit, quàm mutatio eius quod ſeipſum mouit? CLI. Egregiè dictum id, & concedendum eſt. ATH. Præterea ſic noſipſos interrogemus, & ipſi nobis reſpõdeamus. Si quouis modo vniuerſa ſimul ſteterint, vt plurimi talium audent dicere, quem motum potiſſimum ex omnibus primum in ipſis fieri aſſeremus? CLIN. Eum profectò, quo quid ſeipſum mouet: Motus enim dependens ab alio, non prius incidet, quàm alia quædam ipſis inciderit permutatio. ATHEN. Quapropter initium omnium motionum primúmque motum, qui & in ſtantibus factus ſit, & in his quæ mouentur modò inſit, illum fateri neceſſe eſt, quo quid ſeipſum mouet: & hanc eſſe antiquiſſimam omniũ potentiſſimámq; mutationem: ſecundam verò illam, qua quid ab alio mutatur, & alia mouet. CLINI. Veriſſimè dicis. ATHENI. Poſtquam hucuſque diſputando deuenimus, hoc quoque reſpondeamus. CLIN. Quidnam? ATHEN. Si primũ motũ in terreno vel aquatico vel igneo corpore, ſiue ſimplici, ſeu mixto viderimus, quam ineſſe ipſi paſſionem dicimus? CLINIAS. Nunquid rogas, ſi viuere ipſum dicendum ſit, quod à ſeipſo mouetur? ATHENI. Idipſum. CLINI. Viuere certè. ATHEN. Quid verò cùm animam eſſe in aliquo viderimus, num ob aliud viuere ipſum quàm ob hoc putabimus? CLINIA. Ob hoc ipſum. ATHEN. Attende per Iouem obſecro, nunquid velis tria in re qualibet intelligere. CLINI. Quo pacto? ATHE. Vnum ſubſtantiam ipſam. Vnum ſubſtantiæ rationem. Vnum quoque nomen ipſum. Interrogationes etiam de omni re duas eſſe? CLINIAS. Quomodo duas? ATHENIENSIS. Quod videlicet nonnunquam nomine nobis propoſito, rationem ipſam quæramus: nonnunquam rationem. aſſecuti, nomen iam inueſtigemus. Sed volumúſne hoc iterum dicere? CLIN. Quidnam? AHENIE. Bipertita diſtinctio, & in aliis, & in numero hoc reperitur. Et in numero ſic diuiſo, nomẽ quidem, par eſt:

Ratio

Aggreditur demõſtrare Deos, eſſe.

Quæ antiquiſſima & potentiſſima mutatio.

Ratio autẽ, numerus in duo æqualia diuiſibilis. CLI. Certè. ATH. Tale aliquid dico. Nónne idẽ in vtroq; ſignificamus, ſiue nomen interrogati, rationem, ſiue rationẽ interrogati, nomen reddamus? quandoquidem vnam eandémq; rem nomine quidem parẽ, ratione verò numerũ in duo æqualia diuiſibilem appellamus. CLIN. Idem omnino. ATH. Rei verò illius cui nomẽ eſt anima, quænam ratio eſt? Num habemus aliam rationem, præter eam quam modò diximus, quòd ipſa poſſit ſeipſam mouere? CLI. A ſeipſo moueri aſſeris rationem eſſe illius ſubſtantiæ, quam nomine omnes animam appellamus? ATH. Aſſero equidem. Quòd ſi ita eſt, an adhuc deſideramus ſufficientius demonſtrari, idem eſſe animam, & primam generationem ac motũ rerũ quæ ſunt, quæ fuerunt, quæq; futuræ ſunt, omniúmque rurſus iſtis contrariorũ? quandoquidem tranſmutationis motúſq; omnis omnibus cauſa eſſe apparuit. CLIN. Minimè. Nam ſufficientiſſimè monſtratũ eſt, animam omnibus antiquiorẽ eſſe, cùm motus principiũ ſit. ATH. Nónne igitur motus qui ab alio in alio fit: quóue nihil vnquã ſeipſum mouet, ſecundus eſt, & quoto quis velit numerorum interuallo ſuperiori motui poſtponendus? ſiquidẽ corporis verè inanimati mutatio eſt. CLI. Probè. ATH. Rectè igitur & propriè, veréque & abſolutè diximus, prius corpore, animam factam fuiſſe, corpus verò poſterius atq; ſecundò, animæ ſecundum naturam dominãti ſubiectum. CLI. Veriſſima hęc ſunt. ATH. Recordamur nos in ſuperioribus conceſſiſſe, ſi antiquior corpore anima declaretur, illa etiam quæ animæ competunt, iis quæ corporis propria ſunt, priora eſſe ſimul declarari? CL. Maximè. ATH. Affectus ergo, mores, voluntates, cogitationes, veræ opiniones, curæ, memoriæ, omnia hæc longitudine corporum, latitudine profunditate, robore, prius facta ſunt, ſicut & anima, corpore. CLI. Neceſſe eſt. ATHE. Num etiam concedere cogimur bonorum & malorum, honeſtorum & turpium, iuſtorum & iniuſtorum, cæterorúmque contrariorum cauſam eſſe? ſiquidem cauſam omnium ipſam aſſerimus. CLI. Cur non? ATH. Animam cuncta gubernantem, & in omnibus quæ mouentur habitantem, nónne & cœlum gubern re n ceſſ i confitebimur? CLI. Omnino. ATHE. Vnam plures? MEGIL. Plures certè, vt ego pro vobis reſpondeam. ATH. Nec pauciores quàm duas ponere debemus, vnam beneficam, cõtrariam alteram. CLI. Rectè admodum. ATH. Vniuerſa ergo quæ in cœlo ſunt, quæ in terra, quæ in mari, ſuis motibus anima ducit: quibus nomina ſunt, velle, conſiderare, curare, conſultare, rectè & non rectè opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odiſſe, diligere: & cæteris præterea motibus omnibus, qui horum affines primique ſũt, qui & ſecundos corporum motus ſuſcipientes, omnia in augmentum decrementúmq; perducunt: cõcretionem, vel condenſationem, & diſcretionem, vel rarefactionem: & in ea quæ iſta ſequuntur, caliditates, frigiditates, grauitates, leuitates, durum, molle, album, nigrum, auſterum, dulce, amarũ: & denique omnibus, quibus anima vſa ſi intellectũ quoq; ſemper diuinũ acceperit, rectè cuncta, dea cùm ſit, recta feliciáq; perducit: ſin verò amentiæ cõiuncta fuerit, omnia his contraria facit. Damúſne iſta ſic ſe habere? an adhuc ambigui ſumus? CLIN. Nullo modo ambigimus. ATH. Vtrum ergo animæ genus, cœlũ, terrã, totúmq; orbẽ regere arbitramur, quod mente virtutéque refertũ eſt? an quod caret vtriſque? Vultíſne, vt ita reſpondeamus? CLI. Quo pacto? ATH. Ita dicamus, ó mirifice vir, ſi vniuerſus cœli circuitus, & omnium quæ in eo ſunt, progreſſio, mentis motui & circumlationi, & rationi ſimilẽ habet naturam, & ſimili quadam ratione peragitur, conſtat optimam animam totius mundi curã habere concedendum eſſe, vnde tali ratione circumuoluatur. CLIN. Rectè. ATHE. Sin verò furiosè & ſine ordine mouetur, malam. CLINI. Hæc quoque rectè. ATHE. Quam igitur mẽtis motus naturam habet? Sed ad hanc quæſtionẽ, ó amici, prudenter reſpondere difficile eſt. Quare par eſt, vt ego vobiſcũ reſpõdeam. CLIN. Probè loqueris. ATH. Cauere itaq; debemus, ne quaſi ex opoſito ad ſolem conuerſi, & in meridie noctem agentes, perinde reſpondeamus, ac ſi mortalibus oculis mens ſufficiẽter conſpici cognoſciq; poſſit. Tutius enim videbimus, ſi ad imaginem eius reſpiciamus. CLIN. Quo pacto dicis? ATHE. Videamus cui potiſſimum decem illarũ agitationum ſimilis ſit intellectus, vt tanquam imagine hac vtamur. Eam ego in memoriam vobis reducam, & pro omnibus reſpondebo. CLIN. Optimè. ATH. Meminiſſe oportet & illud à nobis in ſuperioribus eſſe dictum, omnium quæ ſunt, alia ſtare, alia verò moueri. CLINI. Sic dictum fuit. ATH. Quinetiam eorum quæ mouentur, nonnulla vno in loco, nonnulla in pluribus agitari. CLINI. Hoc quoq;. ATHE. Motus autem qui ſemper in vno fit, neceſſariò circa medium aliquod agitur, & circuli torno cõfecti ſimilis eſt: ideóq; mentis circuitum pro viribus imitatur. CLI. Quomodo id dicis? ATHEN. Per eadem certè, eodem modo, in eodẽ, circa eadem, ad eadem, vna ratione, & ordine vno ferri vtraq; aſſero. Nempe ſi dicamus mẽtem motúq;, qui in vno fit, ſpheræ torno confectę lationibus ſimiles, nunquã rudes bonarum imaginum opifices erimus. CLIN. Rectè admodum. ATHE. Contra ergo motus qui nunquam ſimiliter, nec per eadem, nec in eodem, neque circa eadem, neq; ad eadem, neq; in vno fertur, nec ordine, nec ornatu rationéq; aliqua, omni profectò amentiæ cognatus eſt. CLI. Proculdubio. ATH. Iam ergo apertè poſſumus clamare, cùm ab anima cuncta circunducantur, neceſſariũ eſſe cœli circuitum à procurante exornantéq; anima circunduci ſiue optima illa quidem, ſiue contraria. CLIN. At hoſpes ex dictis iã apparuit, nefas eſſe aliter dicere, quàm ab anima, omni virtute referta, ſiue vna, ſeu pluribus hæc omnia circumagi. ATH. optimè tu Clinia citóque hæc intellexiſti. ſed illud adde. CLI. Quidnam? ATH. Si ſolem, lunam, cæteráq; ſidera anima ducit cũcta, nónne ſingula quoque? CLIN. Quidni? ATHEN. De vno igitur verba faciamus, quæ aſtris omnibus poſſunt accõmodari. CLI. De quo? ATH. Solis quidem corpus omnes homines vident, animam nemo, nec etiam alterius animalium corporis, nec viui, nec mortui. Idq; genus cùm nullo corporis ſenſu percipiatur, ſola mente cõprehenditur. Quare & nos de ipſo, hoc ſola intelligentia capiamus. CLIN. Quidnam? ATH. Cùm ſolem anima moueat, ſi trium modorum aliquo ab ea fieri hoc aſſerimus, fortaſſe non aberrabimus. CLI. Quos dicis modos? ATHE. Quod vel intus in hoc rotundo corpore ineſt, & quò libet ipſum transfert, quemadmodum nos anima noſtra quò libet ducit. Vel ipſa foris quidem eſt, & corpus aliquod ignis vel aeris nacta, vt quidã aiunt, per vim corpus corpore pellit. Vel tertiò, quamuis ipſa nuda corpore ſit, quia

 tamen

Animæ ratio quod poteſt ſeipſũ mouere.

Quę ſint nomina motuũ animæ.

Anima cõiuncta intellectui producit omnia rectè.

Quam reuerenter cenſendum ſit de deo. Tranſlatio diſputationis.

Solẽ mouet anima.

tamen alias vires ſupra modum mirabiles habet, facilè ducit. CLI. Certè vno iſtorum modorum ab anima agitari cuncta neceſſe eſt. ATH. Præſtat autem, vt ſiue curru quodã intrinſecus teneat corpus illud eius anima, luménq; ita cunctis effundat, ſiue foris ſit, ſeu quomodocũque quis excogitet, deum eſſe ipſam omnes arbitremur. An aliter? CLIN. Ita certè, niſi quis extrema dementia teneatur. ATHE. De vniuerſis præterea ſtellis & luna, annis, menſibus, cunctiſque temporibus, qui aliud quàm hoc ipſum dicemus? Quoniam anima & animæ omnibus virtutibus præditæ horum omnium cauſæ demonſtratæ ſunt, deos eſſe eas affirmabimus: ſiue in corporibus ſint, & tanquam animalia quædam cœlum totum exornent, ſiue quomodocumque aliter agere id dicantur. CLI. Omnino. ATHE. Ita ergo iſtis conceſſis, poteritne aliquis negare plena deorum omnia eſſe? CLI. Nullus adeò mente captus eſt hoſpes. ATH. Ei ergo qui deos eſſe negat, poſitis terminis, ô Clinia, & Megille, ſermonem iam relinquamus. CLI. Quos terminos imponemus? ATH. Vt vel doceat nos non rectè opinari, cùm animam generationem primam omnium dicimus: cæteráq; à nobis conſequenter dicta, vera non eſſe. Vel ſi nihil melius quàm nos dicere poteſt, nobis credat: & ita in poſterũ viuat, vt de diis non ambigat. Verùm conſideremus nũc vtrum ſufficienter deos eſſe aduerſus negantes oſtendimus, an non. CLI. Sufficienter dictum eſt hoſpes. ATH. Diſputatio igitur aduerſus iſtos, finem habeat. Sed ille iam, qui quamuis deos eſſe dicat, curam tamen humanarum rerum negat habere, ſic à nobis eſt perſuadẽdus. O vir eximie, dicamus, natura quędam diuinitati cognata ad rem tibi coniunctam affirmandam colendámq; ducit, quando deos eſſe aſſeris. Sed improborum iniuſtorúmque hominũ publicè priuatímq; ſucceſſus, qui licet reuera felices non ſint, vulgò tamen felices habentur, & carminibus frequẽter cęteriſq; ſermonibus extolluntur, temerè ad impietatẽ te præcipitem agunt: aut etiam cum ſceleſtos homines videas ad ſenium vſq; ita deuenire, ut filios atq; nepotes in maximis relinquant honoribus, valde turbaris. Audiſti fortaſſis, aut etiam ipſe vidiſti nõnullos, quamuis iniuſtè & impiè multa geſſerint, propter ipſa tamen ſcelera ex re parua in magnam, & ex infimo gradu ad tyrannidem perueniſſe. Propterea cùm deos harum rerum autores eſſe propter ipſam cum illis cõiunctionem incuſare, & aduerſus eos peccare nolis, nonnulla ductus abſurditate, cùm diis ipſis ſuccenſere non poſſis, huc tandem delapſus es, vt licet deos eſſe arbitreris, humanas tamen res ab illis negligi credas. Ne igitur hæc opinio ad grauiorem te trudat impietatis morbũ, remedium pro viribus opinionem hanc refutantes, adhibeamus. Quocirca ſequentem diſputationem cum præcedente illa ratione iungemus, qua aduerſus eos etiã qui deos eſſe negabant, vſi ſumus. Tu verò Clinia & Megille, pro adoleſcente, vt feciſtis hactenus, reſpondete. Atque ego ſi arduum quid inciderit, vos ſuſcipiens, vt nũc feci, trans fluuium ducam. CLI. Rectè dicis, & ita facito. nos quoque pro viribus faciemus. ATH. Non erit forſan difficile demonſtrare, deos non minus minimarum rerum quàm maximarum curam habere: præſertim cum paulò antè dictum fuerit, eos omni virtute refertos, prouidentiam omnium ſibi propriam vẽdicare. CLI. Et maximè quidem. ATH. Quod ſequitur, communiter inueſtigemus: quæ ſit virtus eorum qua boni eſſe conceduntur. Age, nónne temperatum eſſe, mentémque habere, virtuti dantur, & contraria vitio? CLINIAS. Certè. ATH. Quid porrò? Nónne fortitudo virtuti etiam datur, timiditas vitio? CLIN. Valdè. ATHE. Et horum alia turpia, alia honeſta dicuntur? CLIN. Neceſſe eſt. ATHE. Et quæ in his vitia ſunt, nobis quidem ineſſe poſſe: deos verò eorum participes nullo modo dicemus? CLIN. Hæc etiam quiuis concederet. ATHE. Nunquid negligentiam, delitias, otium, animi virtutem putabimus? An aliter? CLIN. At quomodo? ATHE. Num contrà CLINIAS. Ita ſanè. ATHE. Horum ergo contraria in contrarium. CLINIAS. Sic vtique. ATHE. Qui delitiis, negligentiæ, otióque deditus eſt, quem Heſiodus ignauis maximè fucis ſimilem dicit, nónne odio nobis habetur? CLIN. Rectiſſimè profectò poeta ille cecinit. ATHE. Non ergo dicendus deus eos mores habere, quos odit, nec permittendus eſt vllus ita dicere? CLIN. Nullo modo. ATH. An ille, quem operis alicuius effectio & cura maximè pertinet, magna in eo opere curabit, parua contemnet? Quomodo ſi hanc opinionem laudauerimus, non errabimus? Sed ita iſtud conſideremus. Nónne ſiue homo ſiue deus, duabus de cauſis negligit? CLIN. Quibus? ATHE. Vel quia nihil intereſſe totius putat, ſi parua negliguntur: vel quia licet intereſſe opinetur, pigritia tamen mollitieq; detentus, negligit. Aliter enim negligentia nõ contingit. Nam quando quis non poteſt omnium curam gerere magnorum paruorúmque, atque ideò imbecillitate impeditus nõ curat, negligentia tunc in eo eſſe non dicitur, ſiue homo quidam ſit impotens, ſiue deus aliquis nõ poſſe ſingatur. CLIN. Non certè. ATHE. Sed nunc illi duo tribus nobis reſpondeant, qui licet deos eſſe concedant, alter tamen facilè placabiles, alter in rebus paruis negligentes putat, primúmque ſic interrogentur. Ambo deos aſſeritis ſcire, videre, audireq; omnia, nihilq; ipſos effugere poſſe eorum quæ aut ſenſu aut intellectu percipiuntur? hæc ne ita ſe habere dicitis? an aliter? CLIN. Sic. ATHE. Deinde omnia eos poſſe quæcunq; mortales immortaléſve poſſunt? CLIN. Abſque dubio ita eſſe concedent. ATHENI. Bonos etiam, imò optimos eſſe nos quinque confeſſi ſumus. CLINIA. Omnino. ATHE. Nulla ergo pigritia. nulla mollitie capi eos poſſibile: quandoquidem tales ſunt, quales eſſe conſenſimus. Nam à timiditate in nobis otium naſcitur: pigritia verò ab otio atq; mollitie. CLIN. Vera loqueris. ATHENI. Nullus ergo deorum otio pigritiaq; corruptus quicquam negligit. Nullius enim timiditatis deus eſt particeps. CLINI. Probè. ATHENI. Ergo relinquitur ſi paruas paucáſque in vniuerſo res negligunt, vt ita negligant, aut quia contemnenda illa eſſe ſciunt, aut quidnam aliud reliquum eſt, quàm huius contrarium? CLIN. Nihil penitus. ATH. Vtrum ergo, ô vir eximie, te dicere affirmabimus? an quod propter ignorantiam, cùm prouidere debeant, non prouideant? an ſicut improbos homines dicimus, meliora quidem videre, ſed voluptate aut dolore fractos deteriora ſequi, ſic deos quamuis ſciant prouidendũ eſſe, ſimiliter non prouidere? CLIN. Quomodo id fieri poteſt? ATHE. Præterea res humanæ, viuentis naturæ participes ſunt: & homo ipſe præ cæteris animalibus dei cultor diligentiſſimus eſt. CLINIA. Apparet. ATHENIE. Quin etiam mortalia cuncta viuẽtia à diis fieri poſſiderique, quemadmodum & cœlum vniuerſum, dicimus. CLIN. Proculdubio. ATHE. Iam ergo ſeu parua hæc, ſiue magna quis dixerit diis eſſe, nullo modo cum prouidentiſſimi atq; optimi ſint, negligenda ſibi ſua poſſeſſio eſt. Sed iſtud præterea conſideremus. CLIN. Quidnam? ATH. Num ſenſus & vires contrario inter ſe modo ad facilitatẽ difficultatémq; ſe naturaliter habeant. CLI. Quid ais? ATH. Parua quippe difficilius quàm magna videntur & audiuntur. Facilius autẽ tenẽtur feruntúrq; & prouidentia gubernantur parua omnia & pauca, quàm eorum contraria. CLI. Certè multò facilius. ATHE. Quid verò? cùm medicus totum corpus curare velit ac poſſit, ſi magnis prouiderit, parua contempſerit, an bene huic vnquam ſe totum habebit? CLI. Nunquam. ATHE. Sed nec gubernatores, nec imperatores, nec patresfamilias, neq; ciuitatũ moderatores, neque vlli omnino tales, paucis ac paruis neglectis rectè multa & ingentia gubernabunt. Nam lapides quoq; magnos ſine partis bene ſtrui negant architecti. CLIN. Certè. ATH. Caueamus autem ne deum mortalibus opificibus viliorem putemus. Iſti ſanè quantò peritiores ſunt, tantò arte vna in propriis ipſorum operibus & parua ſimul & magna exquiſitius abſolutiúſq; perficiunt: Deus verò qui ſapientiſſimus eſt, & curare poteſt ac vult, magnis quidem prouidebit ſolum, parua autem, quæ facilius gubernari poſſunt, propter pigritiam & ignauiam negliget? CLI. Nullo modo hanc hoſpes de diis opinionem admittendam putamus. Nefaria enim hæc & falſa penitus cogitatio. ATHE. Satis iam aduerſus eum, qui negligentiæ crimine deos incuſat, diſputaſſe videmur. CLI. Certè. ATHE. Verum hactenus quodammodo ratione coegimus, vt falſa ſe opinari confiteretur. CLIN. Rectè. ATHE. Indigere quoq; perſuaſione, quia veluti cantu quodam capiatur, exiſtimo. CLIN. Quænam hæc perſuaſio eſt? ATHE. Huic adoleſcenti perſuademus, eum qui toti prouidet, ad virtutẽ ſalutémq; totius omnia ordinare, cuius pars quęque pro viribus quod ſibi conuenit agit & patitur: atq; his ſingulis præpoſiti principes ſunt, qui minimarum etiam actionum paſſionúmq; per ſingulas & extremas vniuerſi particulas diſtributione ad vltimum vſque peracta curã habent. Quarum vna tua, ô miſer, particula eſt, quæ ad totũ ſemper reſpicit, quamuis minima ſit. Tu verò ignoras omnem ſingulorum generationem illius gratia fieri, vt vniuerſi ipſius beata vita ſit. eius ſubſtãtia non tui gratia eſt, ſed illius tu gratia factus es. Medicus enim omnis & artificioſus opifex omnis totius gratia ſingula facit, & ad communẽ perfectionẽ dirigit omnia, non totum ad partem, ſed partes ad totum ſingulas referens. Tu autem moleſtè fers, quia ignoras quo pacto quod tibi optimum eſt, vniuerſo ſimul & tibi pro communis generationis viribus cõuenit. Quoniam verò anima cum corpore ſemper modò cum alio, deinde cum alio coniuncta, variis mutationibus aut propter ſeipſam, aut propter aliam animam cõmutatur, nihil aliud harũ rerũ ordinatori tanquam talos iaciẽti reſtat, quàm vt quaſi tranſponẽdo permutet, meliores quidem mores in meliorẽ locũ, in deteriorem verò deteriores, pro vt ſingulis conuenit, vt ſortem ſibi congruã ſingula conſequantur. CLI. Quomodo id ais? ATH. Ea ratione mihi dicere videor, qua facillimè dij cunctis prouideãt. Nam ſi quis ad totũ ſemper reſpiciẽs fingit quæq;, & ad ipſum omnia trãsfigurat, vt ex igne aquã animatã, nec multa ſimul ex vno vel ex multis vnũ, primæ, aut ſecundæ, aut tertiæ generationis participantia multitudine infinita tranſpoſiti huius ornatus erunt. Nunc autẽ mira facilitas in eius opere eſt, qui toti prouidet. CLIN. Quo pacto id rurſus ais? ATHE. Quoniam rex ille noſter actiones hominum omnes animatas eſſe perſpexit, multámq; ipſas in ſe virtutem, multam etiam prauitatem habere, quódue factum eſt animam & corpus, perditionem nõ pati, neq; tamen æternum eſſe, qua lege dij ſunt: nam ſi alterutrũ horum perderetur, omnis ceſſaret animaliũ generatio: præterea quod ipſius animæ bonum eſt, iuuare, quod malum, cõtrà nocere: hæc inquam omnia quoniã perſpexit, idcirco excogitauit vbi pars quæq; locata maximè, optimè, faciliméq; virtuti victoriã, vitio verò ne vincat, impedimentũ in vniuerſo præbere poſſit. Adinuenit igitur ad vniuerſum hoc, quale factũ quodlibet, qualem ſedẽ habitationémq;, & qualia loca ſortiri debeat. Cauſas verò huius vel illius generandi, voluntatibus noſtris permiſit. Vbicũq; enim quis cupiat, qualíſq; animus ſit, ibi fermè ſemper habitat, & talis ſit vt plurimum. CLI. Congruè. ATHE. Quæcunque igitur animam habent, tranſmutantur: quippe cùm trãſmutationis in ſeipſis cauſam habeant. Trãſmutata ſecundum ordinem legémq; fatorum ferũtur. Et quæ minus peccarunt, minus profundè, ac in regionis ſuperficie vagantur: quæ magis atq; atrocius, decidunt in profundum, & in regionem inferiorem delabũtur, quam inferorum vocabulo ſimilibúſq; nominibus appellantes, tam viuentes: quàm à corppribus ſoluti ſomniãt atq; formidant. Anima verò quæ maioris virtutis vel vitij cõpos eſt, quandò propria voluntate & aſſidua cõſuetudine vehementius permutata, diuinæ virtuti adhæſit, taliſque præcipuè facta eſt, in locum ſimiliter longè meliorem ſanctúmq; transfertur: quæ verò cõtrario modo affecta eſt, in cõtrarium tranſlata, vitam peragit ſuam. Hoc deorum qui cœlum habitant, ô puer & adoleſcens qui à diis negligi putas, iudicium eſt: vt qui peior ſit, ad peiores, qui melior, ad meliores animas, tam in vita, quã in omni morte proſiciſcatur, patiatúrque & agat quæ à ſimilibus ad ſimiles fieri oportet. Quare nec tu, nec alius vllus, oportet, cõfidátq; ſe adeò fœlicem fore, vt iudicium hoc deorũ effugiat atque exuperet. Nam qui hoc ſanxerũt, firmus, quàm cætera omnia ſtabilierunt, vt cauendum omnino ſit. Nũquam enim ab illo negligeris, nec ſi ita paruus ſit vt in terrę profundum ingrediaris, nec ſi adeò ſublimis fias, vt pennis elatus in cœlũ voles: ſed conuenientia ſupplicia dabis, ſiue hic manens, ſiue ad inferos profectus, ſiue ad remotiorem aliquẽ inacceſſibilémque locũ tranſlatus. Eadem quoq; de illis ratio ſit, quos per nefaria ſcelera ex paruis in magnos viros euaſiſſe intuitus, putaſti ad felicitatẽ ex miſeria perueniſſe. Quorum in operationibus velut in ſpeculo, deorũ ad omnia negligentiã inſpexiſſe exiſtimaſti, quod videlicet ignorabas ad quid eorũ progreſſus vniuerſo conducãt. Nõ oportet autem hoc, ô vir præſtãtiſſime, ignorare, quòd qui neſcit, nec viuendi formã vnquã conſpiciet, nec rationem de vitę beatitudine vel miſeria cõiectare poterit. Quare ſi Clinias hic, & vniuerſus hic ſeniorum cœtus tibi perſuaſit, te quid de diis dicas penitus ignorare, ſatis tibi deus fauerit: ſin verò rationẽ adhuc aliq̃ deſideras, audi quæ ad tertiũ illũ dicemus, ſi quo pacto mentis es particeps. Profectò deos eſſe, hominibusq; prouidere, ſatis arbitror demonſtatũ.

Deos humanarũ rerũ curam habere.

Virtus deorum

Dei iudicium ineuitabile

Sed iniquorum hominum eos muneribus corrumpi, nullo modo dici permittendum eſt: & ſi dicatur, omnino pro viribus refutandum. CLI. Præclarè dictum: & ſi agamus. ATH. Age igitur per deos ipſos, quónam modo placabiles fiunt, ſi quo pacto fiant: & qui & quales ſunt, ſi placantur? principes enim eſſe eos neceſſe eſt, qui totum cœlum perpetuò gubernaturi ſunt. CLI. Certè. ATH. Sed quibúſnam principibus ſimiles ſunt? quiue illis principes ſimiles, vt poſſibile nobis ſit minores maioribus comparare? Vtrum aurigæ aliqui certantium bigarũ tales ſunt? aut nauium gubernatores? Fortaſsè autem exercituum ducibus conferri poſſunt, vel medicis: qui bella morborum ab humanis corporibus arcẽt atque propulſant: aut agricolis inimicas orientibus ſtirpibus tempeſtates timentibus cauentibúſque, aut etiam gregum armentorúmq; paſtoribus, Nam cùm inter nos cõuenerit, multorum bonorũ, multorúmq; malorum, & quidem plurium, plenum eſſe cœlum, immortale aliquod bellũ, hoc eſt, & mirabili cuſtodia indiget: ſed opitulantur nobis dij ſimul & dęmones. Nos autem deorum dæmonúmq; poſſeſſio ſumus. Verum iniuſtitia & intemperãtia vnà cum imprudentia nos corrumpunt. Iuſtitia verò & temperantia cum prudentia, quæ in viribus deorum animatis inhabitant, ſalutem nobis afferunt. Exiguum autem aliquid horum habitare in nobis manifeſtè hinc licet conſpicere. Nam animę in terra quædam habitantes iniuſtæ & ferarum iuſtar atroces, aduerſus cuſtodum animas, canũ puta aut paſtorum, vel etiam præcipuorum omnium dominorum inſurgunt, verborúmq; lenociniis, gratiſque incantationibus perſuadent, vt ſententiam malorũ eſt, licere malè agendo inter homines ſibi plurima vſurpare, nec aliquam inde pœnam perſoluere. Hoc nos delictum, quo ad vſurpationem plurimum inhiatur, in corporibus animalium morbum vocamus, in anni temporibus peſtilentiam, in ciuitatibus rebúſq; publicis, commutato nomine, iniuſtitiam. CLI. Omnino. ATH. Neceſſe eſt igitur eum qui credit deos veniam hominibus iniuſtis præbere, ſiquis ipſis rapinæ partẽ tribuerit, dicere eos eſſe veluti canes quibus lupi particulam rapinæ concedant, & illi muneribus his placati, greges diripi patiantur. Nónne hic eorum ſermo eſt, qui placabiles eſſe deos prædicant? CLI. Hic certè. ATH. Sed quibus prædictorum cuſtodum deos aliquis conferens non omnium hominum ridiculoſiſſimus? Vtrum gubernatoribus, qui libatione vini atq; nidore carnium deuoluti, nauem ſimul nautáſque euertũt? CL. Minimè. ATH. Sed neq; aurigis, qui dum certant, corrupti muneribus, aduerſariorum curribus victoriam ipſam concedant. CLI. Non certè. *Turpis enim hæc in deos comparatio. ATHEN. Atqui nec imperatoribus, nec medicis, nec agricolis, nec paſtoribus ſimiliter perſuaſis, nec etiam canibus aſtutia luporum blandè ſeductis. CLI. Bona verba quæſo. Hæc enim audienda non ſunt. ATH. Nónne cuſtodum omnium maximi & in maximis rebus dij omnes? CLI. Ita prorſus. ATH. An optimarum rerum cuſtodes, & in virtute cuſtodiæ nimium excellentes deteriores eſſe dicemus, q̃ canes hominéſq; mediocres, qui nunquam muneribus ab iniuſtis hominibus impiè acceptis iuſtitiam proderẽt. CL. Nequaquã hic impiorũ hominum ſermo ferẽdus eſt, & qui hac opinione laborat, impiorum omnium iure peſſimus & profaniſſimus iudicabitur. ATH. Tria igitur illa quæ propoſuimus, deos videlicet eſſe, omniúmq; curam habere, nec præter iuſtũ precibus vllis flecti poſſe, ſufficienter oſtẽdiſſe videmur. CLI. Certè, & his nos rationibus aſſentimus. ATHE. Vehemẽtius quodammodo propter improborum hominum controuerſias diximus. Sed hac de cauſa, ó amice Clinia, contentioſa vſi ſumus oratione, ne praui dicendo ſe viciſſe putantes, licentiam ſibi datam credãt faciendi quęcunq; velint, & qualiacunque aduerſus deos exiſtimẽt facienda. hac inquam de cauſa, noua quadam, & vehemẽtiori dicendi ratione vti voluimus. Quòd ſiquid ad perſuaſionem attulimus, vt iam velint mores ſuos odiſſe & contrarios complecti, probè nobis exordium legum de impietate dictum eſt. CLI. Speramus ita fore: ſin minus, at genus hoc orationis legũlatori dedecori non erit. ATH. Poſt exordium ſermo legũ interpres rectè ſequitur: qui impiis omnibus prædicet, vt à ſuis moribus ad pietatem ſeſe conuertant. Aduerſus eos autẽ qui non paruerint, lex iſta de impietate ponatur. Si quis impiè quicquã agit vel loquitur, qui fortè præſes fuerit, deos defendat, & magiſtratibus ſignificet. Quorũ qui primi audierint, ad harum rerum iudiciũ ſecundum leges deferant. Quòd ſi quis magiſtratus audierit neq; detulerit, ipſe impietatis reus fiat, & qui velit, pro vltione legum proſequatur. Et ſi quis cõdemnatus fuerit, iudices hunc pro ſingulis impiè commiſſis, ſingulis quibuſq; afficiant ſuppliciis. Carceribus quidem omnes coerceantur. Tres verò ſunt in ciuitate carceres. Vnus plurimis cõmunis in foro rerum venalium, vbi multi ne fugiant, cuſtodiuntur. Alter vbi cœtus eorum fit, qui nocte congregantur, correctionis nomine appellatus. Tertius in media regione, vbi quam maximè deſertus ſylueſtriſq; locus eſt, ſupplicij nomine notatus. Tres quoq; impietatis, vt ſupra narrauimus, cauſæ ſunt. Cũque in ſingulis huiuſmodi cauſis duo quædam proficiſcãtur, ſex erunt aduerſus deos genera peccatorum, quæ vt diiudicentur digna ſunt, nec æquali ſimiliq; pœna indigent: Nam alij quamuis deos eſſe non credant, tamẽ propter iuſtum aliquem naturæ affectum, malos oderũt, & odio quodam aduerſus iniuſtitiã moti ab iniuriis abſtinent: iniquos fugiunt, iuſtos homines diligunt. Alij verò ad hanc opinionem, quòd deorum præſentia deſtituta omnia ſint, proniores quoq; ad voluptates doloréſque ſunt, acumine etiam, & memoria pollent. Vtriſq; id eſt commune, vt eſſe dos negent. In hoc autẽ differunt, quòd cæteris hominibus ille minus, hic plus nocet. Ille quidem liberè aduerſus deos, ſacrificia, iuſiurandum obloquitur: atque ita alios deridendo, niſi puniatur, multos forſan ſibi ſimiles faciet. Hic verò eãdem habet opinionem, ſed acriori ingenio præditus vulgò putatur, dolóque & inſidiis plenus eſt. Ex iſtis multi ſortilegi fiunt, & ad omnem veneficij maleficiiq. genus prompti. Fiunt præterea ex iſtis nõnuquam tyranni, exercitum duces, cõcionatores, & qui ſolennitatibus priuatis inſidiantur, & qui homines captiunculis ſophiſtarum decipiunt. Horum profectò multæ quidẽ ſunt ſpecies, ſed legum poſitione dignæ duæ, quarum quæ diſſimulatione referta eſt, ſcelera parit non vna tantum morte vel duabus digna, ſed pluribus. Altera caſtigatione ſimul, & vinculis indiget. Similiter opinio qua dij negligentes exiſtimantur, duo gignit: & qua facilè votis muneribúſque placabiles, alia duo. Cùm ita impij diſtincti ſint, eos quidẽ qui nõ malis moribus, ſed amẽtia quadã tales facti ſunt, in correctionis carcerẽ non minus quàm quinquenniũ permanſuros iudex coniiciat. Quo in tempore nullus cum ipſis ciuiũ colloquatur, præter eos qui nocturni cœtus participes ſunt: hi verò admonentes, ad ſalutem animæ collocantur. Cùm autem vinculorum tempus exactũ fuerit, qui modeſtior factus eſt, vnà cũ modeſtis habitet: quòd ſi rurſus impietatis crimine cõdemnabitur, morte plectatur. Sed ſunt nõnulli qui ad eam opinionem quòd dij ſint, vel negligentes vel placabiles ſint, immanes quoq; fiunt, hominéſq; deſpiciunt, & viuẽtes ad ſe multos alliciũt, attrahũntq;: necnon defunctos ſe trahere conſolariq; dicunt, profitentúrq; ſe deos ipſos cãtibus, ſacrificiis, votiſq; mulcere. Et hoc lenocinio conãtur idiotas, domos itẽ, & ciuitates vniuerſas pecuniarũ gratia perdere. Eorũ qui dãnatus fuerit in mediterraneis carceribus vinciatur, nec vllus liber vnquam ad eum accedat, ſed ſtatutũ ipſi à legũ cuſtodibus cibum ſerui afferant. Vita deniq; functũ, extra regionis fines inſepultũ eiiciant. Quem ſiquis liber ſepelierit, à volẽte impietatis crimine accuſetur. Quod ſi filios reliquerit ciuitati ſufficientes, orphanorum tutores horũ non minus q̃ reliquorũ, ab eo die quo damnatus fuerit, curam habeãt. Sed cõmunis de omnibus his lex iſta ponatur, quæ faciet vt multi minus verbo & re in deos peccẽt, & vt ab amentia reuocẽtur, ex eo quòd non licebit deos ſibi deorúmq; ſacra præter leges affingere. Sit autẽ lex huiuſmodi ſimpliciter cunctis impoſita. Sacella nemo in priuata domo habeat. Cùm verò animũ quis ad ſacrificandum induxerit, ad publica ſacrificaturus accedat, ac ſacerdotibus tũ viris, tum mulieribus, hoſtias præbeat, qui curã harũ rerũ caſtiſſimè gerunt. Quibúſcum & ipſe oret, & quicũq; cũ eo ſimul orare velit. Hæc ideò ita fiant, quia ſacellã & deos inſtituere nõ facile eſt. Quippe magni ingenij eſt rectè rẽ iſtã facere. Solẽt autẽ mulieres præcipuè, ac imbecilliores, & in periculo conſtituti & indigentes vbicunq; quiſpiam indigeat, & cõtrà quãdo facultas rei alicuius affluit, quod adeſſe videtur ſemper conſecrare, hoſtiáq; vouere, & ſtaduas diis atq; dæmonibus & deorum filiis polliceri. Phãtaſmatibus cõmoti vigilantes, & in ſomniis ſimiliter multa ſe vidiſſe præ formidine recordati, vbi remedia ſingulis afferre conãtur, aris ſacelliſq; omnes domos viróſq; replerunt. Quorum omnium gratia lex iſta ponẽda eſt, ac præterea impiorũ cauſa, ne iſta ſibi operationibus vſurpantes, ſacella & aras ſuis in domibus ſtatuant, putẽntque deos clàm votis, ſacrificiiſq; placare: atq; ita in infinitũ ſuam iniuſtitiam augeãt, vnde tam ad ſe, quàm ad deos qui ipſis iſta permittũt: quãuis illis meliores ſint, indignationẽ deorum prouocẽt, quo pacto tota ciuitas iure quodãmodo impietatis crimine teneatur. Legũ quidẽ latori deus minimè iraſcetur. Lex enim ſit, Sacella deorũ neminẽ in priuatis domibus poſſidere. Si vero quiſpiã habuiſſe, ſacrificaſſéq; alibi quã in publicis deprehendatur: qui ſenſit, ad legũ cuſtodes deferat. Ipſi autẽ ſi nihil magni ſceleris à fœmina ſiue à viro factũ ſit, ab publica tẽpla iubeãt priuata ſacra deferri: & ſi nõ illicò delata fuerint, mulctẽt, donec deferãtur. Siquis autẽ nõ puerilẽ, ſed nefariã impietatẽ cõmiſerit, ſiue in ſuis priuatim, ſiue in publico deorũ cultu ſacrificãdo deliquerit, morte vt impurè ſacrificãs cõdẽnetur. Puerile verò eſſe vel nõ, cuſtodes legũ iuidicẽt, tractóſq; ita impios in iudiciũ, impietatis reos eſſe declarent.

Dij quales ſint principes.

Impietatis genera.

Nemo ſacella in domo priuata habeat.

Templorum multitudinis cauſa.

DIALOGVS VNDECIMVS DE LEGIBVS, VEL, DE LEGVMLATIONE

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

Plato noſter quemadmodum & philoſophorũ omnium ſapiẽtiſſimus, & eloquẽtiſſimus oratorum, ita iuriſconſultorũ omniũ prudentiſſimus, ne in contractibus cogeretur, vt ſolẽt cæteri, vaſtum legum interpretationumque, & id quidem fruſtra, opus conficere, meritò antequã deſcenderet ad contractus, foréſiaque comercia, ſtudiis diſciplinis, legibus, iudiciis, religione ciues bonos efficere, ſperãs iuſtos homines, vel abſq; legibus ſpõte fidem & veritatem in omni commercio pręſtituros. Et profectò admodũ opportunè poſt leges de iudiciis pertinentibus ad perſonas leges iudiciorum ad res ſpectantiũ adducit in medium, quibus tam aduenæ quàm ciues diſcat iuſtè deponere, ſeruare depoſita atq; pacta: aliena non mouere, ſua cuique reddere: vti liberis, & libertis, & ſeruis: vendere, emere, reddere, ducere, militare, tueri pupillos, teſtari, teſtamenta ſeruare, hæreditates adminiſtrare, nuptias conciliare, diuortium facere, familiam gubernare: præ cæteris verò parentes religioſe vereri, nihil adulterare, veneficia odiſſe, iram inſaniámq; vitare: iurgia, cõtumelias, detractiones fugere, reſtituere damna, veritatẽ in teſtimoniis iuramentiſq; ſeruare. atq; hęc fermè eſt vndecimi huius libri materia. Poſt hæc autẽ, vt ſolemus, obſcuroria quadã arbitramur breuiter exponẽda. Principiò deam itineris geminã eſſe ſcito, indicatricẽ ſcilicet atq; ſeruatricẽ. Et illam quidem eſſe lucem ſub nomine Lunæ: hanc verò ſub Dianæ nomine fidẽ: & quicquid caſu quodam alienum in itinere repertũ eſt, deo eſſe dicandũ: vt agnoſcas fortunam proſperam eſſe ad dei prouidentiam referendam. Contemplare Platonicam bonitatẽ, videlicet vetantẽ in emendo atq; vendendo non ſolum rem adulterare, mentiri, peierare, ſed iurare etiam: imò verò & rem venalem laudare, & in eadẽ die pretium permutare. Vbi illud ediſce: Nemo diis inuocatis mendacium dicat, aut decipiat, aut adulterare verbo vel re quicquã audeat, niſi deo velit odio eſſe: cui quidem primum odio eſt, qui falſo iurans deos parui pendit: deinde qui corã maioribus ſe mẽtitur. Et vide iterum atque iterum quàm liberæ & integra Plato optet ingenia ciuium, à quibus omnem cauponãdi licentiam procul expellit. Addit quoque tum opulentiã, tum egeſtatẽ eſſe morbum ingeniorum. Inde enim inflatiores, hinc debiliores abiectioréſq; homines fieri. Vbi verò ait Palladem, Vulcanúmque, & Martem artibus præſidere, ex multis Platonis myſteriis alibi atque alibi traditis collige: Ioui ſummo mundi architecto trinitatẽ quandam numinum, quam opificiũ Platonicè nominamus, ſemper aſtare. In qua quidem trinitate prima ſit Pallas: ſecundus autem Vulcanus. Mars verò tertius. Sed quemadmodũ trinitas tota ad Iouem ipſum, à quo eſt, refertur: ita fermè Vulcanus & Mars referuntur ad Palladem. Mitto, nunc quod in Marte potentiam: in Pallade ſapientiã: in Vulcano igneum ſpiritum ſomniaſſe videtur. Tria certè ad ipſam Iouis artem qua vniuerſum perficit, requiruntur. Primum quidem ratio ipſa per quam ſingula ſit facturus. Secundum efficax eorum quæ ratione conceperat, expeditio. Tertium eorum quæ in effectu expediẽda ſunt, ſalus atque defenſio: Ideam primi Palladem, ſecũdi Vulcanum, tertij Matrem nominat. Et quia vtrunq; ſcilicet tam conſeruatio ſiue defenſio, quam expeditio vel expreſſio rerũ, indiget ratione atque ſapientia: ideò Pallas & Vulcano præeſt & Marti: & quicquid vel à Vulcano fabricatur, vel à Marte poſtquã fabricatum eſt, defendit, & in ſua forma ſeruatur, Pallade duce peragitur. Horum verò trium in arte diuina regnantiũ, tria quoque in natura videmus veſtigia: per Palladẽ quidem, ordinẽ quo ſingula diſponuntur: per Vulcanum verò, efficacẽ progreſſum & promptum quaſi partum ad quæ omnia properant: per Martem demũ; munitiſſimam ſtructuram à generantibus adhibitam genitis: & varia propugnacula naturam propriam à contrariis defendentia. Tria ſimiliter in arte humana quidem omni, maximè verò ciuili eſſe debẽt: vt ſingula & ſapiẽter prius quàm fiãt, excogitentur: & maturè ſtrenuéque expediantur: & ea forma qua excogitata expromptáque ſunt, ſeruentur atque fortiter defendantur. Et vt cognoſcamus artem humanam in his omnibus abſoluendis non minus quàm naturam ab ipſo deo ideiſque pendere: inquit tres illos deos humanis artibus præſidere. At ne ſolas à diis artes habuiſſe putem, addit deos vitę datores reuereri maximè omniũ oportere: adeò vt vel eorum nomina nõ ſint vel*